

[p.647] Amplissimo patri ac illustrissimo  
PRINCIPI, EPISCOPO PORTVENSIS, CAR.  
SALVIATO, LILIUS GREGORIUS  
GYRALDUS, OBSEQVENTISSIMVS  
SERVVLVVS, S.P.D.

Ego quidem semper cum probatis doctrina et uitae integritate uiris ita sensi, et credidi, Deum Optimum Maximum publice coli debere, et expedire, publicis patrum cerimoniis et institutis: priuatim uero pura tantum mente, ac incontaminata: nec plus sapere quenquam sibi arrogare, quam decreta et maiorum instituta per tot iam secula per manus subinde tradita permittunt. Quod cum plerique alias, tum hac in primis nostrorum temporum fece seruare contempserunt, in uarias sectas, falsaque et impia dogmata inciderunt, turbasque plurimas et dissidia in populis concitauerunt. qua ex re praeter dissensiones passim et uulgo disseminatas, pacis quoque tranquillitatem et honorum ciuium ocium ac quietem inturbant, sic ut indies magis magisque seditiones et schismata fieri uideamus: ut nunc bella plusquam ciuilia, et cognatas acies mittam. Sed ista, quae magis deflere et deplorare, quam corrigere et emendare possumus, ipsi his moderanda et emendanda in praesentia mittamus, quibus hoc munus incumbit. Quin illud nos potius rideamus (si uacat) exortas nunc quoque nouas esse in re literaria haereses, quae non minus adolescentum animos et ingenia exagitant, et quidem praeclara et liberalia. Inter hos uero quidam sunt, qui sic palam dictitant: Nihil omnino latine scribendum esse, cum satis superque ab antiquis omnia et scripta et pertractata sint: et desperandum esse, his demum diebus quenquam contingere posse ad eam dicendi et scribendi felicitatem, in qua antiqui excellere. Alii sunt qui hoc non omnino probant, et scribendum quidem aiunt, sed eo duntaxat sermone, qui uernaculus Hetruscorum est, quemque alii ex regulis et arte constare, alii natiuum tantum et genuinum sibi et suae nationi affirmant. atque ideo non modo historias, sed et disciplinas, et si Deis placet, philosophiam et res sacras, ac religionis mysteria in uulgarem et uernaculam

linguam et consuetudinem conuertunt. Quibus utrisque, si corporis mihi uires, uel manus saltem suppeterent (ita enim mihi hac de re instructa et parata est supellex) sperarem me solidis et indissolubilibus argumentis, ualidisque sententiis [p.648] respondere posse, eorumque ita diluere ac infirmare commenta, et plane cauillos, ut uel plerosque sententiam mutare compellerem, uel saltem iuuentutem non deterrerent a linguae latinae et graece usu, quo minus earum perennibus, consuetisque studiis operam nauarent. Sed non diffido alios, et me longe doctiores, et magis firma corporis ualetudine futuros, qui peruersis ac praeposteris opinionibus sint responsuri, et in bonam uiam reuocaturi: ut nonnihil certe iam praestitit Bartholomaeus Riccius, in suis de Imitatione libris. Quare nunc ego his missis, ad te de uariis et multiplicibus sacrificiorum gentium cerimoniis (quae alias magis animi gratia, quam ingenii uiribus a me collecta sunt) mittere constitui, ea in primis ratione, ut nostri adolescentes his nugis potius oblectentur, et erudiantur, quam tanto cum periculo uelint uel de religione et sacris rebus loqui, uel uulgari sermone plusquam expediat studia sua prouehere. Accipe uero Saluiate maxime, maior future, reddita si sint merenti praemia: accipe inquam haec nostra qualiacunque. Et licet sint te minime digna, at certe tibi sunt a me debita, cui quotidiana tua sunt, nec uulgaria beneficia: id quod expressius his hendecasyllabis sum testatus:

Debebam tibi Saluiate praesul,  
Vitae quod superest mihi imbecillis,  
Quod uictu et lare me foues benignus:  
Sed cum muneribus nouis subinde,  
Nunquam desinis optime mereri,  
Me ingratum uideo interire coges,  
Et tu munificentior fereris.

Vale: et quod facis, cadentem subleua.  
[p.649]

DE SACRIFICIIS, SYNTAGMA XVII. AD  
ILLVSTRISSIMVM CARD. SALVIATVM.  
DISTICHON PRO Argumento.

Monstrat ubi, per quos, quae, quomodo,  
quando, Libellus,

Sacra suis Gentes exhibere deis.

Quoniam deorum nomina et cognomina, eorumque imagines, quantum imbecillae uires corporis et ingenii tulere, superioribus tractatibus sum complexus, in hoc de Sacrificiis in uniuersum et per partes acturus, multa mihi praefandum duco, ut rem tibi totam maiore luce expediam: atque adeo in primis de templis, et sacris aedibus, de aris et simulachris, de sacerdotibus et celebritatibus, eiusmodique caeteris breuiter collecta exponam. Sic uero exordiar.

Quis est qui neget, templa esse, ut si loquar, deorum diuersoria? ad quae dei ipsi precibus ac mortalium uotis exorati, diuertere quodammodo soliti putentur? Nam si quidem regibus et principibus, magnisque uiris aliis apud nos forte hospitaturis, in eorum gratiam domos nostras exornare solemus, ut maiore illos ac splendore quam possumus adparatu suscipiamus: quid deis tandem immortalibus facere debemus, quos ad sacrificia et preces nostras inuocamus, et praesentes adesse cupimus? Et quanquam Zenonis dogma fuisse legamus, ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν, hoc est, templa deorum non aedificanda: et barbaros quosdam dicere solitos accepimus, eos impie facere, qui deos aedium et parietum septis includerent, cum deis ipsis omnia sint patentia, mundusque ipse, et omne hoc totum illis pro templo sit (id quod Persae credebant, ut in hoc planius ostendam: Carmeli quoque incolae nullum dei sui templum habuere, nec Germani illi antiquiores, sed illi in monte tantummodo aras habuere, hi lucos et nemora deorum suorum nominibus appellata:) nihilominus Romanos uidemus, et Graecos, caeterasque minus barbaras ac feras nationes, maximam circa deorum suorum templa et fana curam diligentiamque semper adhibuisse. Quare qui primi deis apud hos templa struxerint, uarie proditum inuenimus. Cum enim primum homines (ut ait Tranquillus, et repetit Isidorus) exuta feritate [p.650] rationem uitae habere coepissent, seque ac deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitauerunt. Igitur ut templa illi domibus pulchriora, et simulachra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos

deos putauere, laudesque eorum et uerbis illustrioribus, et iucundioribus numeris extulerunt. atque hactenus ex Tranquillo Isidorus. Sunt tamen qui in Italia Ianum patrem primum templa struxisse tradiderunt, ideoque ueteri instituto in sacrificiis Ianum latini perpetuo praefari solebant, ut in Iano dictum est. Alii Faunum, et ab eo fana appellata, ut Probus scribit. Martianus a Fana, quae et Fatuella diceretur. quidam Iouem apud Cretenses primum templa dicasse ferunt, atque ob id inter deos primum ipsum locum fuisse sortitum. Lactantius Cretensium antiquissimum regem Melisseum tradit: quin et Seruius ex Salustio, Cretensibus religionem attribuit: Phoenices Vsonem quempiam, primum simulachra igni et uento statuisse, et templa posuisse praedicant. Phoroneum alii, aut Meropem, uel Aeacum Iouis filium tradunt, ut Varro in Admirandis ait: quod et Arnobius in sexto. Sunt qui Dionysium, cum Indos debellasset, templa struxisse, religionumque cultus inceptasse prodant. alii Cecropem primum in Attica, Opi deae statuisse putant. Isidorus uero hunc ipsum Cecropem ait Iouem primum appellasse apud Graecos, et simulachra reperisse, aras statuisse, uictimas immolasse, ut alibi dixi. Alii nonnulli, ut aduersus Iulianum Caesarem scribit Gregorius Nazianzenus, Thraces uolunt cerimonias inuenisse: immolare uero, Chaldaeos: uel ut alii dicunt, Cyprios. Nonnulli Arcadas Ioui templa construxisse affirmant. Aegyptii Isin ferunt, quae sit legifera uocata, Ioui et Iunoni parentibus templa et sacerdotes instituisse. Sunt qui Phryges dicant, qui deae Phrygiae Cybeli sacra et templa dicarint. Porro plerique ex sepulchris initium templa sumpsisse arbitrati sunt, ut in Sepulchralibus his uerbis ostendimus: Fuit inquam usque adeo sepulchrorum antiquis cura, ut non aliunde templorum et sacrarum aedium originem deductam, diligentissimi scriptores tradant, Eusebius et Lactantius. qua de re et Clemens Alexandreus in Protreptico sic scriptum reliquit: Superstitio, inquit, templa condere persuasit. quae enim prius hominum sepulchra fuerunt, magnificentius condita, templorum appellatione uocata sunt. nam apud Larisseam ciuitatem, in arce, in templo Palladis, Acrisii sepulchrum fuit, quod nunc sacrarii loco celebratur: in arce quoque Atheniensi, ut est ab Antiocho in nono Historiarum scriptum, Cecropis sepulchrum fuit: in templo uero

Palladis quam Poliadae [p.651] graeci appellant, iacet Erichthonius. Ismarus autem una cum Celei natabus sepultus: et reliqua, quae multa Clemens colligit, et post eum Eusebius in Praeparatione euangelica, quae in Latinis codicibus non habentur, atque ideo ex graecis repetenda. eadem et in sexto Arnobius. Caeterum ex Hetruscorum disciplina ueteres, ut puto, moniti, non deis omnibus, omni loco, templa ponenda censuere. Nam qui pacis, qui pudicitiae, qui bonis artibus praessent dei, eos intra moenia collocandos putauerunt: qui uero uoluptatibus, rixis, incendiis, ut Venus, Mars, Vulcanus, eos excludere ex urbibus solebant. tametsi hoc non ita ratum fuisse semper, ex historiis uidemus. Vestam autem, Iouem et Mineruam, quos deos tutores urbium ait Plato, in ipsarum medio, et arcium locabant. Victruius: Aedibus, inquit, sacris, quorum deorum maxime in tutela uidetur ciuitas esse, ut Ioui et Iunoni et Mineruae, in excelsissimo loco, unde moenium maxima pars conspiciatur, areae distribuuntur. Neptunum ad maris littus statuebant, Ianum in excelsis montibus, quanquam et in foro. Aesculapium Romani in insula Tiberina reposuerunt, quod aegroti maxime aqua indigeant. alibi tamen extra urbem templa habuit, ut ait Plutarchus, quod ibi aer sit salubrior. Video praeterea uarias etiam templorum formas ab antiquis descriptas. nam Solis quidem aedem, Liberique patris, rotundam ueteres probarunt: Iouis uero templa, quod omnium rerum semina is deus patefacere credebatur, tecto esse oportere aiebat Varro perforato. Aedem Vestae, quam cum terra eandem putabant, rotundam, ad pilae similitudinem formabant. Coelitibus, et superis aliis, a terra templa extare uolebant: inferis deis sub terra, Chthoniis et terrestribus media ponebant saepius. Sed de templorum et sacrarum aedium situ, si plura cupis, Victruium legito libro primo, et item tertio et quarto, cuius inter caetera haec sunt uerba: Ioui Fulguri, et Coelo, et Soli et Lunae, aedificia sub diuo, hypaethraque construuntur: horum enim deorum et species et effectus in aperto mundo atque lucenti praesentes uidemus. Mineruae et Marti et Herculi aedes Doricae fient. his enim deis propter uirtutem sine deliciis aedificia constitui decet: Veneri, Florae, Proserpinae, Fontium nymphis, Corinthio genere constitutae aptas uidebuntur habere proprietates, quod his deis propter

teneritatem graciliora et florida, foliisque et uolutis ornata opera facta, augere uidebuntur iustum decorem. Iunoni, Dianae, Libero patri, caeterisque deis, qui eadem sunt similitudine, si aedes Ionicae constituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab seueriore more Doricorum, et a teneritate [p.652] Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio. Mercurio uero in foro, aut etiam ut Isidi et Serapidi, in emporio: Apollini, patrique Libero, secundum theatrum: Herculi, in quibus ciuitatibus sunt gymnasia, neque amphitheatra, ad circum: Marti extra urbem, seu ad campum: itemque Veneri, ad portum. Id autem etiam Hetruscis aruspibus disciplinarum scriptis ita est dedicatum, extra murum Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, uti non insuescat in urbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido, Vulcanique ui e moenibus religionibus et sacrificiis euocata, ab timore incendiorum aedificia uideantur liberari. Martis uero diuinitas cum esset extra moenia dedicata, non erat inter ciues armigera dissensio. Sed ab hostibus ea defensa, a belli periculo conseruabat. Eadem ratione et Bellonae aedes extra urbem fuit, ubi Senatus dabatur fortibus ducibus, et qui strenuam operam nauassent. Cereri item extra urbem, loco quo non semper homines, nisi per sacrificium necesse haberent adire, cum religione caste sanctisque moribus is locus tueri deberet. Porro ut plurimum templa ad orientem solem construere solitos ueteres, scribit Lucianus. Sed quam in partem precantes obuerti solerent, et alibi retuli, et in hoc infra repetam. Templa uero a contemplatu dicta sunt. Sed Varro templum dictum ait, a tuendo. Templum tribus modis dicitur, a natura, ab auspicio, a similitudine. A natura, in coelo: ab auspiciis, in terra: a similitudine, sub terra. in coelo, ut,

Contremuit templum magni Iouis altitonantis:

item, magna templa coelitem. In terra, ut, Scrupea saxa Bacchi templa. sub terra, ut, Acherusia templa alta Orci saluete. quanquam etiam Victruius, nec uno in loco, templum pro tecti parte et trabe quapiam sumatur. Dicuntur et aedes templa, et in plurali sacrae aedes. tametsi etiam contra superstitiosas grammaticorum obseruationes, et sacra aedes in singulari apud idoneos auctores inuenimus, et simpliciter aedes pro domo: id quod et antea alii notarunt. Ab aede aedituus, ille qui aedes

sacras curat, et tuetur: non aeditumus, ut ait Varro, quamuis aeditimum aliqui dixerint.

Templi partes quatuor dicebantur, sinistra ab oriente, dextra ab occidente, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.

Varia uero de mundi dextera et sinistra a philosophis traduntur, et ab auguribus, quae haud nostro instituto conueniunt. Tesca etiam, loca quaedam agrestia alicuius dei. Actius: Lemnia quisquis es tu mortalis, qui in deserta et Tesca te apportes loca. dicta, quod mysteria ibi fiant, aut tuentur: unde prius Tiesca, post tesca facta, ait Varro. Tesqua nunc ferme dicuntur. Tesqua tamen Festus [p.653] ait, loca esse augurio designata. Cicero aspera ait esse, et difficilia. Sed et templa fana dicta sunt, quod (ut inquit Varro) Pontifices in sacrando fati sint, fanum. hinc profanum est, quod ante fanum, id est coniunctum fano. hinc profanatum, quod in sacrario pollutum. Liuius libro decimo primae Decadis, Inque ea pugna Iouis Statoris aede uotam, ut Romulus ante uouerat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus, iam sacratus fuerat. Et Festus a fando fana deducit, quod fando consecrantur. uel a Fauno dicuntur, qui primus (ut Probus ait) Fana condidit. Martianus tamen fana dicta ait a Fatuis, quae et Fantuae, et Fanae dicuntur, deis syluestribus, a quibus (inquit) fana dicta. Sane Graeci et ipsi templum ἱερὸν et νέωσ dicunt, sed et ναὸς: de quo Clinias ait, quod aliquando ἔνναϊον diceretur, διὰ τὸ ἔνναϊεῖν ἐν αὐτῷ τοὺς θεοὺς: hoc est, quod in ipso dei habitarent. Notat et Pollux templum a Graecis dici σηκός, et τέμενος, aliisque nominibus. Sedenim et plerunque templa ab ipsis deorum nominibus appellata inuenimus, ut ab Iunone ἡραῖον, a Diana ἀρτεμίσιον, a Venere ἀφροδίσιον, a Marte ἀρεῖον, ab heroibus ἡρώον et eiusmodi alia. Obsueramus uero et lucos apud deorum templa consecrari solitos. Quin et lucos quidam dictos putauere, quod ibi lumina fierent religionis causa, a lucendo uidelicet. Alii per contrarium dictum arbitrantur, quod minime luceat, propter arborum umbras opacas. Sed quod luci numinibus sacrati essent, non modo gentium historia, uerum et sacra declarat. Scribit Tacitus, Germanos ueteres alia nulla deorum templa habuisse, quam lucos nemoraque deorum suorum nominibus appellata. Notat et Seruius. Manes et heroum animas, qui Lares uitales dicerentur, lucos tenere. hinc et Vergilius in sexto dicit,

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Nec aliter lucos unquam posuit Poeta, sine consecratione. Lucos quoque collucare Romano more oportere, docet M. Cato de Rustica, formulamque ascribit: Porco, inquit, piaculo facito, sic uerba concipito, Si Deus, si Dea, et reliqua: etc.

Asylum etiam templi quoddam genus fuit, ex quo nullus posset extrahi. Dictum Asylum, ait Seruius, quasi Asyrtum. Hoc autem non fuit in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum esset. Liuius etiam templum Apollinis Delii Asylum fuisse scribit. Primo uero apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequabantur hi qui fuerant a patre oppressi, sicut docet in septimo Thebaidos Statius:

Fama est defensos acie post busta paterni [p.654]

Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

Hoc asylum etiam Romulus imitatus est. Vergilius VIII. Aeneidos:

Hinc lucum, quem Romulus acer Asylum, etc.

Item,

Et tam porticibus uacuis Iunonis Asylo, etc.

Sed de Asylo hoc, et qua urbis Romae parte, alibi plura notauimus. Nunc caetera subdam. Quoniam uero, ut dictum est, inde extrahi non poterant confugientes, propterea etiam graeci ἀσύλους homines dicebant, a uiolentia tutos: quales tribunos plebis, et pontifices. hinc et ἀσυλία ἀνδριὰς, statua ad quam confugientes tuti fuerant: ut Caesarum, quod uel ex Iureconsultis liquet, ne historicos, aliosque scriptores nunc commemorem. Dicunt et graeci ἀσυλει uice aduerbii, hoc est tuto, uel unde quis auferri nefas sit, ut in Asylo positus. Sic et Asyilia, hoc est immunitas dicta, quae ex sacris aedibus et aris, staturisque principum habetur. Quin et delubrum etiam aliquando pro templo sumptum est. Vergilius,

Principio delubra adeunt.

Idem,

Nos delubra deum, miseri quibus ultimus esset,

Ille dies, festa uelamus fronde per urbem.

Scribit Varro libro octauo Diuinarum, Delubrum alios existimare, in quo praeter aedem sit area assumpta deum causa, ut fuit in circo Flaminio Iouis Statoris: alios, in quo loco dei simulachrum dedicatum sit. et adiecit: Sicut locum in quo figerent candelam, candelabrum

appellatum: ita in quo deum ponerent, nominatum delubrum. haec ex Varrone Macrobius. Seruius tamen, a diluendo delubrum dictum putat, libro secundo Aeneidos, ait enim: Delubrum dicitur, quod uno tecto plura amplectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut est Capitolium, in quo est Iupiter, Iuno, Minerua. alii dicunt delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit a diluendo. licet alio loco idem dicat, delubrum ligneum simulachrum a libro, hoc est, raso ligno, quod ξόανον graece dicitur. Dicuntur et templa sacraria. Vergilius,

Et diri sacraria Ditis.

Seruius tamen ait, Sacrarium proprie locum esse in templo, in quo sacra reponantur: sicuti Donarium, ubi oblata imponuntur. Vocantur et Sacella, diminutiva forma, ut notum est. Vergilius,

Faciles nymphae risere sacello.

Bidental dicebant antiqui, quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificarent, ut ait Festus. meminit Horatius, in poetica,

Minxerit in patrios cineres, an triste bidental [p.655]

Mouerit incestus.

Persius, Euitandumque Bidental.

Ita uero institutum bidental traditur. Locum fulmine tactum acri studio procurabant maiores, sacerdotemque adhibebant, et fulminis uestigia dispersa colligebant: sacrisque ibi peractis ara construebatur, in qua de bidente rem diuinam faciebant, et locus Bidental uocabatur, quod uiolasse piaculum fuit. Fauissae etiam, ut Festus ait, locus appellabatur, in quo erat aqua circa templa. Sunt qui putant, Fauissas fuisse in Capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea quae in templo uetustate erant facta inutilia. idem ferme tradit Gellius libro secundo, capite decimo, ex Varronis sententia. Solebant porro ueteres sua templa inaugurare, id est suis auguriis sanctiora reddere: et similiter profana facere, id est exaugurare. utrunque clare ostendit T. Liuius libro primo ab Vrbe condita. Et ut libera, ait, a caeteris religionibus area esset tota Iouis templique eius, quod inaedicaretur, exaugurare fana sacellaque statuit, quae aliquot ibi a Tatio rege primum in ipso discrimine aduersus Romulum pugnae uota, consecrata, inaugurataque postea fuerant, inter principia huius operis mouisse numina ad indicandam tanti imperii molem

traditur deos. Nam cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere, et reliqua. Nunc et illud addendum, quod Seruius scribit: Nouimus, inquit, deis superis et inferis aras consecratas. Altaria uero esse superiorum tantum deorum, quae ab altitudine constat esse denominata. Ara, inquit Varro de Lingua latina, quod areae in urbe purae sint: a quo potest etiam ara deum esse, quod pura. nisi potius, ait, ab ardore, ad quem ut fit, fit ara. Idem tamen Varro libro quinto Diuinarum dicit, aras primum ansas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus teneri: hanc opinionem Macrobius est secutus, Vergiliique etiam auctoritate comprobat. At uero Isidorus: Aram, ait, a quibusdam uocatam, quod ibi incensae uictimae ardeant. Alii ab imprecationibus, quas Graeci ἀράς dicunt. Lactantius grammaticus libro Thebaidos septimo, tria fuisse in sacrificiis loca ait, per quae expiationem facerent, scrobiculo facto inferis, aris terrestribus, coelestibus extractis focis. unde denominata etiam sunt altaria, ad quae cum sacrificabant, manus in altum porrigebant. At uero philosophus Porphyrius: Aras, inquit, et templa statuebant coelestibus, terrestribus (hoc est Chthoniis) escharas, id est focos: sic et heroibus. Subterraneis autem, id est ὑποχθονίοις deis fossas, scrobesue, et quae a graecis dicuntur μέγαρα. Mundo et nymphis, caeterisque huiusmodi, antra dicarunt. Vnde est Homeri in decimotertio Odysseae antrum Nympharum, [p.656] quod praeclare ipse est Porphyrius interpretatus. Ergo superis deis, ut etiam Festus tradit, a terra exaltatis aris: terrestribus, in terra: inferis, sub effossa terra, sacra facere consueuerunt ueteres. Id quod apud Indos diu fuisse seruatum legimus, ut terrestribus deis in cauernis et specubus, Soli in sublimi sacrum facerent. Sane quoniam βωμὸς graece ara dicitur, bomolochi inde dicti primum quidam, qui e sacrificio epulas petebant. et quia nugaces ii fuerant, uocabulum deflexum est ad scurras, et parasitos. Porro nonnumquam sine ara in nudo solo et pauimento sacra peregrisse Graecos compertum est. Eumaeus apud Homerum, super escharam uictimam fecit. Arabes arulam super aram constituebant, Solique in illa immolare et thura adolere solebant. has enim ad normam quadratas fuisse accepimus: sed et rotundas ipsi uidimus. Super aras uero sacra facturi, cespitem ex

gramine, siue uerbenas apponere soliti fuerant. Verbenae enim in omnibus fere sacris faustae habitae: has ex sacro loco decerpere oportebat. Ipsas etiam aras, quoniam et hae peculiare deis fuere, ut etiam uictimae, suorum numinum frondibus ornare par fuit: ut Ioui aesculo, Apollini lauro, Mineruae olea, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hedera: sed et pampinis interdum, quin et ramis ficulneis plerunque. his enim deus ipse, deuictis hostibus triumphasse fabulatur: Pani pino, cupresso Syluano et Diti, uel si quae aliae aliis deis conueniebant. tametsi ad aram maximam Herculi sacra qui faciebant, sola lauro coronari soliti a quibusdam traduntur. qui tamen Vergilii auctoritate conuincuntur, qui ita in octauo cecinit,

Herculea bicolor cum populus umbra  
Velauitque comas, foliisque innexa pependit.

Et paulo post,

Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Thraces et Iudaei pro lege habebant, in omnibus sacris hedera coronari: Capadoces, ambrosia. Apud Aegyptios uitibus hedera praeferebatur. Druidae Gallorum nullum sacrum sine roboris uel quercus fronde, et uisco conficiebant. Thraces non solum coronati, sed scuta et gladios hedera ornati, in solemnibus libabant. Abrotonum Isidi sacris dicatum: Isiaci tamen absinthii marini ramum uirgultis caeteris praeferebant. Aegyptii in Iouis pompa et magi myrica, Hermionenses hiacyntho in sacris coronabantur: Parthi ex diuerso gramine coronata agna, odores incendebant. Ferunt Aegyptios agrosti herba, id est gramine manibus decerpto, adorasse, et papyri flore deos coronasse: eorum tamen rex Ptolemaeus Heliochryso deos ipse coronabat. Vespasianus coronas ex cynamomo interrasili auro saepe templis dicauit: apud alios autem fagi cortex [p.657] religiosus fuit: non sic Thebis et Athenis. Namque in Palladis templo haud facile quisquam hederam inuenit: ea uero hedera quae fert racemos labruscae modo, quam et smilacem nominant, et arbores quae nec seruntur, nec fructum ferunt, infaustae omnibus habebantur sacris, et damnatae religionis. Apud Persas non modo qui sacrificabat, sed et hostia, et qui sacris intererant, festa ornabantur fronde. Indis contra: namque ex his coronatus sacrificabat nemo.

Sed postquam de sacris aedibus et templis, arisque, et caeteris scripsimus, nunc congrue

simulachra et statuas subiungemus, et qui eas primi in templis statuerint diuinae dicauerint, disquiremus: hoc licet uarie tradatur. Quidam enim Telchines apud Rhodum deorum statuas primum fecisse uolunt: quidam Hetruscos, seu Tyrrhenos praedicant. Alii Cadmum Agenoris filium apud Graecos tradidere. Sunt qui Armodii et Aristogitonis primas statuas positas prodant, qui tyrannidem ex Athenarum urbe sustulissent. Alii Aegyptios tradunt, quod eorum reges id primi moliti sint: Sesostris, Amasis, Rhapsinates, Simandius. Diophantes Lacedaemonius, qui Antiquitatum libros quatuordecim scripsit, Syrophanem ait Aegyptium, hominem locupletissimum, filio superstitem, eius desiderio simulachrum domi constituisse, ad quod familiares confugerent, cum domini iracundiam furoremque uitarent: quo modo ueniam ab hero consecuti, herilis filii simulachrum defuncti floribus et coronis ac sertis, aliisque rebus ornabant. Sed quid multa hac de re colligimus? Vesanam ac stultam Semiramidis ambitionem apud scriptores notaui, quae ad montem Mediae, qui Bagisthenes diceretur, suam in petra effigiem decem et septem stadiorum insculpi iusserit, quam centum uiri donis ac muneribus uenerarentur assidue, ut sacerdotes.

Caetera hoc loco quae de simulachris apud Eusebium, Athanasium, Porphyrium, Plinium, et alios legimus, missa facio, ut sacrificia exequamur, quod nostrum est institutum: tantummodo unum hoc breuissime addam, simulachra, seu signa illa et statuas appellemus, antiqui ex uaria materia factitauerunt, caera, sale, uitro, omnis generis marmore, creta, argilla, auro, argento, aere, ferro, chalybe, plumbo, stanno, gemmis, lapillis: item et ex uarii generis ligno, ut et Plinio, Solino, Plutarcho, Pausania, Eusebio, aliisque obseruamus.

Sed non ex omni quidem ligno simulachra ueteres factitasse, obseruauimus: ut et Pausanias obseruat, qui se ait animaduertisse, has tantum arbores sumi solitas, eburnum, cupressum, cedrum, quercum, [p.658] smilacem, loton, buxum. his radicem oliuae in minoribus simulachris addidit Theophrastus: Plinius uitem, qui in Populonia, ait, ex ea Iouis simulachrum uetustissimum tot aeuis incorruptum se uidisse. Sed cum non ex omni ligno Mercurius, ut etiam in prouerbio dicitur, fieret, praecipue tamen ex thyia, quam Trogetem uocauit Homerus, fieri solebat. Atque hactenus de simulachris.

Nunc, ut rem totam complectar, sacerdotum et sacrificarum nomina breuissime tibi commemorabo, quae cum apud Romanos, tum apud graecos uaria diuersaque fuere. Verum audiendus prius est Plato, qui in eo qui Ciuilis, uel de regno Dialogus inscribitur, ita statuit: Sacerdotum, inquit, genus esse, ut intelligat doceatque quo pacto donaria deis et sacra sint offerenda: item qua ratione uouendum sit, quidue boni sit a deis petendum, non enim omnia a deis temere petenda: qua de re et gentes et nostri plura disseruere, quae huius non sunt instituti. Sacerdotum igitur nomina multa apud Graecos fuere, de quibus iam sparsim toto opere meminimus, et Iulius Pollux in Onomastico libro primo et octauo, haec ferme collegit: ἱερεῖς, νεωκόροι, ζακόροι, θύται, τελεσταί, ἱερουργοί, καθάρται, θεουργοί: et quibus nominibus usi sunt poetae, θρηπόλοι. Sunt item qui in uaticiniis, et deorum oraculis reddendis fuere, προφήται, ὑποφήται, μάντις, θεομάντις, χρησμωδοί, χρησμολόγοι, παναγείς, πυρφόροι. Sunt praeterea ὑπηρέται, ὀργεῶνες, τριπτύαρχοι, χαλαζοφύλακες, θυσκόοι, aliique.

Nunc quoque de latinis nostro more breuiter scribamus, Christianorum et Hebraeorum nomina missa facientes, ut professi sumus, ne misceamus sacra profanis, primumque de pontificibus agamus. Pontifices, qui a Plutarcho in Numa γεφυροποιοί graece dicuntur, creduntur apud Romanos primum e patriciis, a Numa Pompilio secundo rege constituti, et quatuor ab initio creati: et post cum plebis potestas creuisset, quatuor alii ex plebe creati coeperunt. M. Valerio et Q. Apuleio Coss. Inter hos qui minores appellabantur, unus erat maximus et re et nomine. hic sacra omnia exscripta habebat, et obsignata: hostias, dies, ad quae templa res diuina esset facienda, caetera denique sacra tum publica tum priuata. Pontificum uero Maximorum electio ipsis Pontificibus pertinebat. Erat quidem Pontifex maximus iudex ac uindex contumaciae priuatorum magistratum: minorum uero Pontificum maximus is dicebatur, qui nouissimus. Pontifex uero unde sit dictus, uarie traditur. plurimi a ponte faciendo, in primisque sublicio: quibus et graeca uox consentit, [p.659] γεφυροποιοίς. hoc Varro, Alicarnasseus, Plutarchus, alii. Scaeuola uero, quem plerique sequuntur, a posse et faciendo

deduxit. Rex sacrorum, qui et Rex sacrificulus dictus est, a Romanis institutus, Iunio Bruto et M. Valerio primis Coss. cum Roma reges exacti fuissent, ut Plutarchus in Quaestionibus tradit, propter sacra quaedam, quae per regem tantummodo celebrari decebat. Rex tamen iste Pontifici Maximo subiectus erat. Huius uxor Regina sacrorum appellabatur: quae quoties sacra faceret, ex malo punica uirgam, quam Inarculum uocabant, infulae loco deferebat. Haec eadem Calendis omnibus Iunoni porcum, uel agnum in regia mactabat. Caetera quae regi pertineret, haud satis mihi adhuc comperta habentur. Athenienses certe et ipsi βασιλέα, id est Regem sacrorum habebant, hac eadem religione ac potestate, qui sacris praeerant Eleusiniis, Lenaeis, et quae ad lampada fiebant, et alia quaedam.

Flamines quidam a Romulo primum, quidam a Numa tres institutos dixerunt: potior tamen eorum uidetur esse sententia, qui a Romulo primum Dialem et Martialem flamines institutos tradidere: mox, ut Varro asserit, Numa singulis deis flamines fecit, a quibus etiam deis nominauit, ut Dialis, Martialis, Quirinalis. et deinde aucta urbe, Viminalis, Vulcanalis, Carmentalis, Falacer, seu Falacris, Palatualis, Furinalis, Pomonalis, et caeteri usque ad XV numerum. Inter hos maximae dignationis fuit Flamen Dialis, cum caeteri discrimina suae maiestatis haberent. minimae uero dignationis, Pomonalis flamen fuit, quod Pomona leuissimo fructui agrorum praesideret, id est pomis, ut ait Festus. Dicti autem flamines, a gestatione pileorum, quasi pileamines. quidam ab infulis, quas flammis appellabant: uel a flammeis, notissimo uelaminis genere, quod parum constat. Alii a filo lanae, quo caput praecinctum habebant. Alii a filo quidem dictum: nam per aestatem, cum propter aestum galerum gestare non possent, lini filis caput amiciebant. Nudo quippe capite sub dio esse, flamine fuit religio. Hoc autem gestaminis genus etiam Apex dicebatur. Lucanus in primo,

Et tollens apicem generoso uertice flamen. meminit et Vergilius VIII. et Seruius et Festus, et Augustinus II. de Ciuitate Dei: Nam etiam, inquit, flamines instituerunt, quod sacerdotum genus adeo in Romanis sacris, testante apice, excelluit, ut tres solum flamines haberentur. Valerius Maximus: Sulpitio inter sacrificandum apex prolapsus est. Flamen Dialis insigni ueste, et curuli sella utebatur, et

albo galero. Flamini Diali iurare non licebat, iniurato credi oportebat: cui enim sacra credita essent, ei fidem non habere, nefas existimabant. hinc ex edicto praetoris uerba illa quae leguntur: Sacerdotem Vestalem et flaminem Diale in omni mea iurisdictione iurare non cogam. [p.660] Idem singulis idibus Ioui bouem mactabant. sub diuo ungi, uel sine interula esse, equo uehi, noctem ab urbe abesse non licebat. Diale coniuge defuncta Flaminio abire, bis connubio iungi nefas. Frumentum, farinam, carnem crudam, capram, equum tangere non licebat. Fabam nec tangere, aut nominare fas fuit. Tibias funebras audire, hederam attingere, aut annulum cum gemma, uel nodum habere, piaculum fuit. alia sunt multa apud auctores, Plutarchum, Gellium, et Festum, quae Flaminibus religiosa erant: sed mihi superuacanea uisa sunt, ut hoc loco recitem. Fuerunt praeterea qui Curiales Flamines dicerentur. Sed Imperatorum et Caesarum temporibus, qui in diuorum numerum redacti fuissent, noui Flamines creati fuerunt: ut C. Caesari dictatori, lege Antoniana, a M. Antonio lata, quod M. Ciceronem secunda Philippica indigne tulisse uidemus. et post alii, ut Augustus Antonianus, Marcianus, Aelianus, quod in historiis obseruamus. fuit quoque apud Romanos lex, si Flamen sacrum rite non peraeuisset, aut aliquo modo insigniter deliquisset, ut Flaminio deiiceretur: quo modo multos deiectos, historia docet. Sedenim et si maximae auctoritatis fuere Flamines, Pontifico tamen maximo dicto audientes fuere, ut cum L. Metellus Pont. Max. non est passus Posth. Flaminem Martialem Cos. a sacris discedere. Et P. Licinius, et ipse Pont. Max. Q. Fabium Pictorem, Praet. Flaminem Quirinalem non permisit ire in Sardiniam. Aliae sunt historiae. Porro Flaminum ministri Flaminii dicti sunt, et ministrae Flaminulae. Flaminum uero uxores, Flaminicae dicebantur. hae ita unius uiri uxores, uti Flamines unius uxoris uiri, id est monogami fuerunt. Omnium porro rerum sacrarum administri, Camilli antiquo Hetruscorum uocabulo dicebantur, ut plenius in Mercurio dictum est.

#### DE POTITIIS ET PINARIIS.

Pinarius et Potitius duo senes fuerunt, quibus Hercules apud regem Euandrum ostendit, qualiter se coli uellet, scilicet ut mane et uespero ei sacrificaretur. Ab his factum est,

ut Romae Pinarii et Potitii Herculis sacerdotes appellarentur. Perfecto itaque primo matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior aduenit, qui a potando, id est ποτίζειν, uel a πότος, seu πότιμος dictus fuit. Pinarius postea, extis iam redditis aduenit. quare iratus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis, et complentibus sacra. unde etiam Pinarii dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης, id est a fame: nam senem illum Pinarium constat alio nomine fuisse nuncupatum. hinc est, quod Vergilius tantum Potitii commemorationem facit.

Primusque Potitius ibat.

Historiam T. Liuius in primo exequitur. Hoc modo hae duae familiae, longo tempore Herculi rem sacram fecere, [p.661] donec auctore Appio Claudio gens Potitia, sacra Herculis in mancipia transtulisset, qua tempestate XII familiae eius fuerant, puberes omnes ad XXX, intra annum cum stirpe extincti sunt. Postea empti de publico serui, officium exercuerunt. historiam hanc aliquanto secus Festus recitat. ait enim, Appium Claudium L. millia aeris grauis his dedisse, si seruos publicos edocerent ritum sacrificandi: quo facto, Potitii cum essent ex familia numero XII, omnes interierunt intra diem XXX.

ARVALES Fratres. Acca Laurentia Romuli nutrix, consueuerat pro agris semel in anno sacrificare, XII eius filiis sacrificium praecedentibus. unde cum unus mortuus esset, propter nutricis gratiam Romulus in uicem defuncti se succedere pollicitus est. unde et ritus processit, cum XII deinceps sacrificare, et Aruales dici fratres: sicut Rutilium Geminum in libris Pontificalibus memorasse, ait Fulgentius ad Chalcidium. Varro, Aruales fratres propterea dictos scribit, ut fruges ferant arua. Romulo uero in eo sacro Accam Laurentiam dedisse ferunt spiceam coronam, quae uitta alba colligata fuit: id quod et Plinius testatur.

Augures, et eorum collegium, summo in honore habitos legimus, non modo apud Romanos, sed et apud Graecos, et Barbaros plerosque. nam Chaldaeos primum, et Pisidas, ac Cilices, dein Hetruscos et Graecos, mox Latinos et Romanos augurandi disciplina excelluisse accepimus. Et Augures quidem tres prius Romae fuere, propter tres ipsius tribus, Luceres, Rhamnenses, Tacienses: mox uno

addito, quatuor extiterunt. Sed tum post plebs admissa esset in partem honorum urbis, quinque plebei Augures creati, et patricii quatuor, atque ita nouem numero fuere, idque M. Valerio et Q. Apuleio Coss. Romani igitur nihil nisi augurato inchoabant. Locum uero augurii ita fuisse legimus: Templum augur constituebat, uersus orientem sedebat, capite uelato erat: lituum, id est, incuruum baculum dextera manu tenebat, quo in coelo regiones diuidebat, et quae auguria ueniebant praedicebat. Si laeua fuissent, qua parte est septentrio, felicia pronuntiabat: illa pars propter altitudinem prospera putabatur. A dextera parte meridies, parum fausta et infelix credebatur, quia locus est depressus. plura Liuius libro primo, Dionysius Alicarnasseus libro secundo, Plutarchus in problematis et in Vitis, Valerius Maximus, M. Tullius de Diuinatione, Varro, et alii. Illud non ignorandum, quod Plutarchus notat in Causis: quod ubi sacerdotes in iudicium acti, aut damnati forent, alter substituebatur: Augures uero non ita. nam quamdiu uiuerent, eodem ordine persistebant. causam ibidem ascribit.

Salios XII Marti Gradiuo, ut ait Liuius in primo, legit Numa Pompilius. Dicti uero, uel a salio uiro quopiam Samo thrace, uel [p.662] Mantineo: uel potius a saliendo, id est saltando, id quod in comitiis facere quotannis Salii solebant. Sane non Romani solum in sacris quibusdam saltationibus et hyporchematibus utebantur, sed aliae omnes ferme nationes. nam ut scribit Athenaeus, et Lucianus, deis peculiare suae fuerunt saltationes. quin nulla sacra in Delo fiebant, quibus non esset adhibita saltatio: nec ab Orpheo ac Musaeo ulla instituta sacra fuisse constat, sine saltatione. Indi mane et uesperum cum saltatione Solem salutabant. Longus sim, si uelim omnes recensere.

Salii igitur, ut ad Romanos redeam, uersicoloribus tunicis ornati, per urbem tripudiantes, carmina Saliaria appellata canentes pergebant, succincti aeneis baltheis, togis nexis fibulis, quas trabeas uocabant, in capite pileos gestabant dictos apices, accincti gladiis, dextera lanceam aut uirgam ferebant, laeua peltam Thraciam, quod Ancyle dicebatur: hoc est, circum ancisum, id coelo lapsum in Numae regiam existimatum. ad cuius formam XII numero summa arte confecit Mamurius artifex, nulla alia mercede ex opere contentus, nisi quod in fine sacri,

Mamurii nomen accineretur. Lege cautum erat, ut Salii liberi essent, et indigenae, et quorum uterque parens uiueret, et cuiuscunque Fortunae pauperes, aut diuites. Proditum historia est, Tullium Hostilium regem numerum duplicasse, et eorum perinde collegium adauctum. haec ex T. Liuius in primo ab Vrbe Condita, Plutarcho in Numa, Valerio Maximo in primo, Dionysio Alicarnasseo in secundo, item et grammaticis Seruio et Acrone, aliisque.

Foeciales, et Patres Patratos ideo simul conscribimus, quod Pater patratus ex Foecialibus unus id muneris obire solebat. aliqui tamen seorsum describunt. Plutarchus quidem in causis Romanis Patrem patratum maximum haberi Foecialium sacerdotum ait, qui foederibus faciendis praerant: et ille pater, et hi filii dicebantur. hos quoque Plutarchus suo tempore apud Imperatores in precio fuisse ait. Foeciales autem dicti, quod fidei publicae inter populos praesent: uel a foedere faciendo, seu feriendo. Pater uero patratus, a patrandi dictus, id est a sanciendo foedere, in quo tantum praesent putabatur. Per hos ergo fiebat, ut iustum conciperetur bellum, et ut foedere fides pacis constitueretur. hoc instituisse dicitur Numa, cum indicendum esset bellum Fidenatibus, quod scribit Pompeius cum tamen eorum usum apud Liuium non uideamus ante Hostilii tempora fuisse. Plinius tamen, seu quicumque alius fuit qui de Viris illustribus scripsit, Ancum Martium ait ius foeciale, quo legati ad res repetendas uterentur, ab Equicolis transtulisse, quod prius (ut ferunt) Hesus excogitauit. Mittebantur autem Foeciales, priusque bellum conciperetur, ad res repetendas: et si non impetrabant, bellum postea indicebatur. Nam unus foecialium, qui patrem patratum faciebat, ex ipsis foecialibus electum, sacris uestibus ornatus ad auctores iniuriarum procedebat, [p.663] et priusquam urbem intraret, ianitorem, uel alium quempiam obuium alloquebatur imprecationibus quibusdam. inde in forum pergebat, et cur uenisset edissererat: tempus ad consultandum dies aliquot, ut alibi dicam, dabat. si per hos dies res infecta esset, deis coelestibus manibusque inuocatis abibat, ad senatumque omnia referebat: senatus, quod iustum piumque foret, statuebat, Foecialemque ut bellum indiceret, dimittebat. Quibus uterentur uerbis, et qua caerimonia, a me alibi relatum est. Foecialium sacra uiolare nefas

erat. Fabius cum uiolasset, urbs ideo a Gallis capta credita. Nonius Marcellus: Foeciales, inquit, apud ueteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio ab his qui aduersum Populum Romanum aut rapinis aut iniuriis hostili mente commouerant pignora, facto foedere iure repetebant: nec bella indicebantur, quae pia uocabant, priusquam fuisset quid Foecialibus denunciatum. Varro de uita Populi Romani libro secundo: Itaque bella et tarde et nulla licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere. priusquam indicerent bellum, iis a quibus iniurias factas sciebant, Foeciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores uocabant. alia praeterea Nonius et Festus tradunt. nos haec pro re satis.

De Gallis Magnae matris Ideae, cum satis superque in ipsius deae descriptione, deque omni eius fere caerimoniarum ritu dixerim, non est cur hoc loco plura repetam.

Duumiiri sacrorum a Tarquinio Superbo instituti fuerunt, qui soli sacros libros inspicerent, et carmina Sibyllina: deinde cum plebs creandos esse ex suis instaret, ex patriciis et plebeis X creati sunt, et inde XV, qui eos libros inspicerent: atque ita ad XV uiros sacrum deuenit, quibus et aliquando data cura corrigendorum fastorum. Sed si de his plura cupis, post caeteros nostrum secundum de Historia poetarum dialogum, si uacabit, legito, quo loco de Sibyllis abunde scripsimus.

De septemuiris Epulonum sic a Pomponio scriptum inuenimus: Veteres (inquit) Pontifices, ut ait Cicero in III. de Oratore, propter multitudinem sacrificiorum tres epulones esse uoluerunt, ut ludorum epulare sacrificium facerent. Id sacerdotium antiquum fuisse constat: sed de aetate nondum mihi plane compertum. Epulonum numerus auctus fuit, duoque tribus additi, adeo ut quinque fierent epulones aliquo tempore: sed postea theatralium ludorum atque Circensium ambitione ad VII usque producti. Excusabatur septemuir Epulonum filia a Vestali uocatione. Est Romae pyramis Cestii, in qua ita inscriptum: Opus absolutum diebus CXXX. ex Testam. C. Caestii Corn. Tri. pl. Septem Viri Epulonum. Epolonos, ait Festus, dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum est autem his nomen, quod epulas [p.664] indicendi Ioui caeterisque deis potestatem haberent. unde etiam sacrae mensae dicebantur, de quibus Arnobius in secundo:

Sacras, inquit, facitis mensas salinorum appositu, et simulachris deorum.

Titii sodales sacerdotes extra urbem habitabant, et in tuguriis certa auguria seruabant, quoniam ad id deputati a Pontifico erant. nomen inditum est ab auibus, ut Varro ait, quas in auguriis certis obseruare solebant. horum meminit et Lucanus,

Et doctus uolucres augur seruare sinistras,  
Septemuirque epulis festus, Titiique sodales.

De Lupercis, copiose paulo post in Lupercalibus agemus: item de Popis, aliisque.

Tutulos, ait Varro in Pontificalibus, sacerdotes dici breuium deorum. Numa uero Pompilius, et ipse de pontificalibus scribens, Tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accessissent. sicut et Vergilius ait,

Et capita ante aras Phrygio uelatus amictu.

Lege ad Chalcidium Placiadem Fulgentium.

Curionem etiam Romani interdum pro sacerdote posuere. Curiones, inquit Varro, dicti sunt a curiis, qui faciunt ut in his sacra fiant. Festus: Curionum aes, ait, dicebatur, quod Curioni dabatur ob sacerdotium curionatus. Arnobius libro primo aduersus Gentes: Iupiter ille Capitolinus huiusmodi potestatem dedit, Curionem autem Pontificem maximum, quinimo Dilem, quod eius est, flamine isto iure donauit. Et Ouidius in Fastis,

Curio legitimis tunc Fornacalia uerbis  
Maximus indixit.

Curia etiam aliquando pro templo sumitur. id ostendit Ouidius qui locum ubi Caesar occisus est, nunc templum, nunc curiam appellauit. Sed certe curia sacra fuit. Videtur Dionysius Alicarnasseus in II. hos designare, cum ait: Duces curiarum factos esse sacrificulos a Romulo imitato Graecorum consuetudinem, apud quos instituta fuere prytanea, in quibus sacra fiebant ab iis qui prytanes dicebantur.

Cupentus porro lingua Sabinorum sacerdos uocabatur, quod notat Seruius. hinc Vergilius libro Aeneidos XII. uidetur nomen deduxisse, cum cecinit,

Nec Di texere cupentum.

Postremo quoniam Orgeones, et Chalazophylaces, et Pyrphoros supra memorauimus, et latinis parum noti uidentur, hoc loco exponam. Orgeones ergo dicebantur sacerdotes, qui deorum honori, aut heroum conueniebant: ab Orgiis, ut putatur, dicti: id est, sacris mysteriis. uel a uerbo ὀργιάζω, id est

sacrifico, et sacra instituo: uel quia inter sacrificandum ὀρέγουσι τῶ χεῖρε, id est porrigant et extendant ambas manus. Putant alii, quod in Orgadibus, id est terris alicui deo sacris, [p.665] uel lucis rem diuinam facerent. hi et Orgiastae dicuntur.

Χαλαζοφύλακες uero sacerdotes a graecis dicebantur, qui grandines cum instarent, specularentur. hi enim agni uel pulli sacrificio auertere credebantur. Sed si agnus uel pullus abfuisset, digitum graphio stilouae feriebant, atque inde fuso sanguine litabant. hos autem a Cleone institutos legimus.

Πυρφόροι, id est igniferi, sacerdotes fuere, qui ante alios ignem in sacrificiis inferebant. hi etiam in prima acie prodire cum face et corona solebant, nec a quoquam uiolari fas erat, ut foeciales apud Latinos. horum meminit et Pollux.

Pastophori etiam apud Aegyptios et Graecos sacerdotes leguntur, dicti uel a πάστῳ, id est: thalamo: uel a ueste, seu uelo. Apuleius sic Isidis sacerdotes uocat. Sed et Venus Pastophoros uocata est, ut suo loco a nobis proditum est.

His ita de templis, aris, et sacerdotibus, praemissis, eam tibi sententiam primum subsignabo, quam de deorum hominumque honore ac cultu protulit apud Alexandrum Callisthenes Olynthius, auditor et propinquus Aristotelis. Cum enim Anaxarchum, suadente Alexandro audiuisset, ut diuinos honores oblatos susciperet: tum mox ille, pulcherrimam distinctionem diuinorum humanorumque honorum fecit, itaque definiit: Ad deos (inquit) Alexander, pertinent templa, statuae, luci, sacrificia, libationes, diuini item hymni: laudes uero hominum sunt. et quidem salutari homines a salutantibus, et osculari mos est: diuinitas autem, quoniam in coelestibus sedem habet, neque fas est ut a mortalibus contingatur, propterea adorationibus sacrificiisque colitur. Deis praeterea, ait, chori et paeanes, caeteraque id genus concinuntur: neque enim mirum uideatur, quod alii aliis honores et cultus superis instituti sint, cum et heroum quoque honores et deorum cultu differant. non itaque decet haec confundi, et mortalem quempiam per honorum excellentiam humanum supra modum extolli. pessime enim id fieri uidemus, si deis et hominibus par honor afferatur. Atque haec quidem apud Arrianum philosophus Callisthenes disseruit. Erant ergo, ut uides,

apud gentes distincti honores et cultus: alii quidem deis, alii heroibus, et item alii hominibus. nam heroibus mos fuit rem sacram ad occidentem uersus fieri, deis uero ad orientem: ut Pindari graecus interpret notat, et ipse in hoc alibi pluribus ostendi.

Nunc uero attende, quae uaria obseruauerim de sacrificiorum uocabulis, ne de re instituta, aliqua tibi (prout facultas tulerit) praetermissis uideri possim. Neque enim ego nunc rem ad Platonis legem redigo, qui in Legum libro octauo, singulos deos singulis anni diebus, totidemque sacra fieri mandauit, ut unus aliquis semper [p.666] ex magistratibus deorum alicui, aut daemonum pro ciuitate, pro seipsis, pro rebus suis sacrificaret. Sed ad instituta ut plurimum Romanorum et graecorum deduco. Erat ergo sacrificium: quodcunque erga deos officium, quod rite rei diuinae faciendae causa impendebatur. unde et Sacrificare uerbum, quod (ut inquit Socrates in Euthyphrone) est munera deis offerre: ut uouere, a deis petere. Heraclitus uero sacrificia medicamenta nuncupabat, quod a morbis animum expurgare possent. Sacrificium, inquit Isidorus, est uictima, et quaecunque in ara cremantur, seu ponuntur, omne autem quod deo datur, aut dedicatur, aut consecratur: quod dedicatur, dicendo datur, unde et appellatur. Hinc errant, qui consecrationem, dedicationem putant significare.

Immolatio ab antiquis dicta a mola, de qua suo loco agemus: uel, ut putat Isidorus, quod in mole altaris posita uictima caederetur. unde et mactatio post immolationem erat, ut paulo post ostendam. Sedenim appellamus et sacrificium, sacrum: ut sacra facere. ut et illud quod dicitur, inter sacrum et saxum, et rem sacram, et rem diuinam, et alia, de quibus sparsim suis locis agemus. Sunt et sacrificia alia publica, quae pro populo fiebant: quae et popularia sacra dicta sunt, ut ait Labeo, quae omnes ciues faciebant. haec et certis familiis attributa fuerant, ut Fornacalia, Palilia, Laralia, ut ait Festus. Alia erant priuata, quae pro singulis hominibus et familiis agebantur, ut Varro et Festus docent. Fuerunt item sacra quae Peregrina dicebantur, de quibus Sextus Pompeius, Peregrina, inquit, sacra appellabantur, quae aut euocatis deis in oppugnandis urbibus Romam fuerant delata, aut quae ob quasdam religiones per pacem erant petita, ut ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauri Aesculapii, quae

colebantur eorum more a quibus sunt accepta. Item alia stata erant sacrificia, quae certis diebus fiebant, quae et Stata sacra dicebantur, ut in primis apud poetas uidemus. Cato in ea quam scripsit de Lucio Vecturio, de sacrilego commisso, cum ei equum ademit: Quod, inquit, tu quantum in te fuit, sacra stata, solennia, sancta deseruisti. Festus, Macrobius et Lactantius grammaticus. Alia erant Solennia, quae omnibus annis praestari solerent, ut iidem tradunt. Haec eadem et Anniuersaria dicebantur, quae annua sacra a Vergilio in VIII. Aeneidos dicta sunt. quo loco sic Seruius: Annuia, inquit, quae differre nefas: Anniuersaria ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. nam Calendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti, nec piaculum eorum intermissione committitur. Caerimoniae uero sunt, ritus sacrificiorum, a populis Italiae dictae: uel a carento, ut alii putant. Vnde Valerius Maximus, immo M. Tullius, in ea oratione quae de Aruspicum responsis inscribitur, nam ex ea sunt uerba desumpta: Maiores stasas solemnesque cerimonias, pontificum scientia: bene gerendarum rerum auctoritatem, augurum obseruatione: [p.667] Apollinis praedictiones, uatum libris: portentorum depulsa, Hetrusca disciplina explicari uoluerunt. prisco etiam instituto rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione: cum exoscendum, uoto: cum exoluendum, gratulatione: cum inquirendum, extis, uel sortibus: impertito cum solemni ritu peragendum sacrificio, quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur. Quae uerba si quis recte perpendat, totam ferme rationem uotorum et sacrificiorum comprehendunt, atque ideo a me hic tibi sunt recitata. Illud etiam sane significandum duco, quod denariae quaedam dicebantur cerimoniae, et tricenariae, quibus sacra adituris decem continuis rebus, uel triginta certis quibusdam rebus carentum erat, ut Festus notat. Graeci quoque, ut ex Polluce, aliisque colligimus, uariis uocabulis rem diuinam uocitabant: inter quae hae sunt. Θυσία, quam Porphyrius, et grammatici quidam dictam existimant quod mortalium primi ex combustis arboribus thymiasin, id est euaporationem et suffitum deis impendere solerent, et a thymiasin thysiam deriuatam uolunt: hinc et Orpheus hymnos deis cum thymiamate et suffitu cecinit. Quidam a θύω, hoc est sacrificio

deducunt, unde etiam thus. Sane quidam thure primum sacrificari coeptum prodiderunt. Libanum quippe puerum legimus sacrificiis deditum, inuidia interemptum, in cognominem plantam deum miseratione mutatum, qui graece λίβανος, id est thus dicitur. hinc et δενδρολίβανος, ipsa thuris planta. Historiam latius explicat in Geoponico Heron, seu Constantinus. Arnobius tamen negat, apud uetustissimos thus in sacris fuisse, quod alibi dictam. A Thysia, Buthysia deducitur, quam uocem et latini usurpant, ut Tranquillus in Nerone. Est et uerbum βουθυτείν, id est bouem immolare, uel maiore uti sacrificio. quo uerbo Aristophanes in Pluto usus est. Grammatici a βου particula intentiua deriuant, ut βούλιμον, βούσκον, βούπειναν, cum magnam famem, ficum et sitim significare uolunt. Athysia etiam Acapnathysia Luciano dicitur, et Athenaeo, quae sine fumo sunt sacrificia, et perinde exigua: qualia sunt inopum, quibus non esset uictimarum copia. Dicuntur et sacrificia Orgia, quae (ut Seruius scribit) omnia apud Graecos sacra significant, ut cerimoniae apud Latinos. sed abusiue, inquit, sacra Liberi Orgia dicebantur, dicta ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est a furore: uel ἀπὸ τῶν ὄρων, id est a montibus: nam praecipue in montibus celebrabantur. Vergilius,

Qualis commotis excita sacris

Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho

Orgia, nocturnusque uocat clamore Cithaeron.

Graeci quidam Orgia dicta tradunt ἀπὸ τοῦ εἶργειν, id est ab arcendo, quod a sacris profani arceri debeant. hinc ὀργιάζω, et ὀργιάζομαι, rem diuinam facio: et ἐξοργιάζω, expio, et ad sacra suscipienda praeparo. Sacrificium praeterea [p.668] ἱεροουργία dicitur, τέλος et τελετή, et numero plurali τὰ τέλη, unde et τελεία ἱερά, sacra eximia, et quae ampliora sunt, et sanctiora appellebantur. τελετή quoque, pro mystica et sacra celebritate. quidam utrunque ἀπὸ τοῦ τελεῖν deriuant, quod perficere ac impendere significat, quod in sacris multa impenduntur ac profunduntur. hinc et τελετάρχης is dicitur, qui religionis alicuius est conditor, quo nomine CHRISTUS a Dionysio uocatur. hinc et τελεστήριον, locus ubi mysteria et sacra peraguntur. hinc Polyteles, qui multa: et Euteles, qui bene et frugaliter expendunt. Vocatur item sacrificium θύμα, θυκλή,

ἱεράτειον, aliisque multis nominibus, ut quae deis propria et peculiaria, ut Παμύλια Osiridis, Θεσμοφόρια et Demetria Cereris, et Aphrodisia Veneris, Dionysia Bacchi, Panathenaea Mineruae, caeteraque quae his Syntagmatibus commemorauit. Atque haec quidem de Graecis. Illud uero a latinis quibusdam traditum inuenimus, uictimam ab hostia differre: idque uolunt ab Ouidio in Fastis significatum his duobus uersibus,

Victima, quae cecidit dextra uictrice, uocatur:

Hostibus a uictis, (uel ut in aliis legitur, domitis) Hostia nomen habet.

Quod discrimen cum alii, tum in primis Isidorus et Seruius uidentur agnoscere, sed ab auctoribus certe confunduntur. Festus alicubi hostiam ab antiquo uerbo hostio deriuat, quod est ferio. licet idem alibi ita scribat: Hostia sacrificium, quod Laribus immolabant, quod ab illis Hostes arceri putabant. Caesar de bello Gallico: Hostiae omnibus locis immolabantur. Hostiae, ait Isidorus, apud Veteres dicebantur sacrificia, quae fiebant antequam ad hostem pergerent: Victimae uero sacrificia, quae post uictoriam deuictis hostibus immolabantur. et erant uictimae maiora sacrificia, quam hostiae. Alii uictimam dictam putauerunt, quod ui ictus percussa cadebat: uel quod uincta ad aras ducebatur. haec Isidorus. Athenaeus porro libro Dipnosophiston VIII. plura ex pluribus auctoribus exequitur, cur et quomodo sacrificia instituta sint. Qui uero primus animal occiderit, Hyperbius dicitur, Martis filius: qui boues, Prometheus. Sed certe de Prometheo haec apud Hyginum in Astronomico poetico leguntur: Antiqui, inquit, cum maxima caerimonia deorum immortalium sacrificia administrarent, soliti erant totas hostias in sacrificiorum consumere flamma. itaque cum propter sumptus magnitudinem sacrificia pauperibus non contingerent, Prometheus, qui propter excellentiam ingenii miram, homines finxisse existimatur, recusatione dicitur ab Ioue impetrasse, ut partem hostiae in ignem conicerent, partem in suo consumerent usu: idque postea consuetudo firmavit. quod cum facile a deo, non ut ab homine auaro impetrasset, ipse Prometheus immolauit tauros duos: quorum primum iocinora cum in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compositam, corio bubulo textit: [p.669] ossa autem, quae circum fuerunt, reliqua pelle contacta, in medio collocauit et Ioui fecit potestatem, ut quam uellet earum consumeret

partem. Iupiter autem etsi non pro diuina fecit cogitatione, nec ut deum decebat, omnia qui debuit ante prouidere, sed quoniam credere instituimus historiis, deceptus a Prometheo, utrunque putans esse taurum, delegit ossa pro sua dimidia parte. itaque postea in solemnibus et religiosis sacrificiis carne hostiarum consumpta, reliquam, quae pars fuit deorum, eodem igne comburunt. haec Hyginus in Astronomico poetico, et multo ante Hyginum Hesiodus in Theogonia. ex quorum uerbis facile intelligas, quod scribit Lucianus in dialogo Iouis et Promethei, cum ait: Nam quibus me ipsum decepisti in distributione carni, ossa pinguedine obducta modo apponens, et meliorem partem tibi ipsi reseruans? et caetera. Legimus tamen primos Athenienses bobus in cibis non abstinuisse, ut Theon prodit. id etiam Pausanias tradit in Eliacis, ueteres solitos fuisse hostiam, per quam aliquis iurasset, non amplius inter edulia et cibaria homini apponere. unde Homerus praeconem inducit, aprum in mare proiecisit, per quem Agamemnon iurauerat, Bryseida sui esse lecti expertem. Sane notandum est, antiquos totam uictimam prius incendisse, ut supra ostensum est. unde illa sunt adhuc uocabula, Holocaustoma, et Holocaustoma, et Holocauston. de quibus sic etiam Isidorus: Holocaustum, inquit, sacrificium illud, quod totum igne consumitur, dum offertur. Antiqui enim, dum maxima sacrificia administrare solebant, hostias totas in sacrorum consumere flamma solebant. Sed reliqua prosequamur de Hostiis.

Praecidaneae hostiae dicebantur, quae ante solemnia sacrificia pridie mactabantur. Festus: Praecidaneam porcam dicebant, quam immolare ante erant soliti, quam nouam frugem inciderent. Idem, Praecidanea agna uocabatur, quae ante alias caedebatur. Item porca, quae Cereri mactabatur, ab eo qui mortuo iusta non fecisset: id est, glebam non iniecisset. Cato quoque de Re rustica: Thure, uino, Iano, Ioui, Iunoni praefato: priusquam porcam foeminam praecidaneam immolari praecipit. quo facto, subdit postea, Porcam praecidaneam immolato, etc. Sed hac de re audiendus est Gellius: Praecidaneae, inquit, hostiae dicuntur, quae ante sacrificia solemnia pridie caedebantur. Porca etiam praecidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas fieri coeptas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgauerant:

aut aliter eam rem, quam oportuerat, procurauerant. Sed porcam et hostias quasdam appellari uulgo, notum est. Ferias praecidaneas dici, id opinor a uulgo remotum est, propter ea uerba Attei Capitonis ex libro quinto, quos de pontificio iure composuit: Coruncanio Pont. max. feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. Collegium [p.670] decreuit, non habendum religioni, quin eo die feriae praecidaneae essent. haec Gellius. Videndum an recte apud Festum Praesa porca dicatur, pro praecidanea. Festi haec sunt uerba: Praesa porca dicitur, ut ait Veranius, quae familiae purgandae gratia Cereri immolabatur, quod pars quaedam eius sacrificii fit in conspectu mortui, eius cuius funus instituebatur. Dicebatur etiam hoc genere sacri Piaculus Porcus, ut docui alibi ex Catone de Re Rustica.

Succidaneae hostiae dicebantur, e litera per morem compositi uocabuli in i literam commutata, ut idem Gellius scribit: id quod et in Praecidaneis accidisse uidemus. nam quasi succidaneae et praecidaneae appellatae sunt. Et succidaneae quidem dictae, si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur, quae quasi prioribus iam caesis, luendi piaculi gratia subdebantur et succedebant, ob id succidaneae nominatae, litera i tractim, hoc est producte pronunciata. Audio, inquit Gellius, quosdam eam literam in hac uoce barbare corripere. Idem Gellius S. C. affert, quod factum fuit M. Antonio A. Posthumio Coss. tale, quod C. Iulius L. F. pont. nunciauit in sacrario in regia hastas Martias mouisse. De ea re ita consuerunt, ut M. Antonio Cos. hostiis maioribus Ioui et Marti procuraret, quod caeteris deis, quibus uideretur, placandis, uti procurasset, satis habendum censuerunt: si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet. Hactenus S. C. Plautus in comoedia Epidicus inscripta, Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam, ut meum tergum stultitiae tuae subdas succidaneum. Illud de succidaneis scribit Seruius in VIII. Aeneidos commenario, In omnibus, inquit, sacris foeminini generis plus ualere uictimas: denique si per matrem litare non poterat, succidanea dabatur foemina: si autem per foeminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Videtur Vergilius in III. Aeneidos succidaneum sacrificium innuere, cum ait:

Rursum in recessu longo, sub rupe cauata,

Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,

Instruimus mensas, arisque reponimus ignem. quo loco Seruius: Sane sciendum, inquit, iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum, nam displicuisse prima, ex prodigiis indicatur. quidam etiam has auctas hostias dixerunt: quoniam cum primis hostiis non litatum esset, tunc et aliae addebantur, quoad litatum esset. Suetonius, circa Perusiam sacrificio non litante, augeri hostias imperauit. Legimus quoque, Paulum Aemilium sacrificantem non litasse, usque ad XX. hostiam. in XX. uero prima apparuisse signa, quae uictoriam pollicebantur. hinc et apud graecos prouerbum factum, δευτέρων ἀμεινόνων, quod in sacrificiis secunda meliora sint. nam ut dictum est, si priora non bona [p.671] apparuissent, ad secunda conuertebantur meliora. meminere et Plato et Hesychius.

Eximiae hostiae. Eximii, ait Macrobius, in sacrificiis uocabulum, non poeticum epitheton, ut aliqui putant, sed sacerdotale nomen est. Veratius, uel Veranius, ut aliqui legunt, in pontificalibus quaestionibus docet, Eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximebantur e grege: uel quod eximia specie, quasi offerendae numinibus eligerentur. hinc Vergilius ait,

Quattuor eximios praestanti corpore tauros.

quo in loco ait Macrobius, Eximios, quod eximuntur: quod uero lecti, praestantes corpore dictum est. Donatus quoque: Eximia pecora dicuntur, quae a grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie eximii sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti, liberius pascuntur. Etenim boues qui ad hoc electi sunt, egregii, uel eximii dicuntur: et oues lectae. ut Vergilius,

Mactant lectas de more bidentes.

Idem,

Quattuor eximios praestanti corpore tauros.  
haec Donatus.

Ambiguae oues in sacris quae dicerentur, Bebius Macer, qui Fastos dierum scripsit, ostendit. ait enim, Iunoni eas quae geminas parerent, oues sacrificari cum duobus agnis, altrinsecus alligatis: et has ambiguas uocatas, quasi ex utraque parte agnos habentes. quam sententiam est secutus Placiades Fulgentius ad Chalcidium. Varro tamen de Lingua latina, Abigenam bouem dictam ait apud Augures,

quam circum altae hostiae constituebantur. Videtur innuere, quod circum agerentur: ut Ambustum, inquit, quod circum ustum est: et Abagium, quod adagium dicitur, litera mutata. Idem Varro alibi, Aruigem in hostiis scribit, quae cornua habeant, et quorum exta ueru coquantur, quod alias planius dixi.

Haruga, uel ut alii, Aruga, sine afflatu, ab ara, hostia est, auctore Donato. alii ab hara, in qua includebatur. apud Festum tamen legimus: Hariunga dicebatur hostia, cuius adhaerentia inspiciebantur exta.

Cauiares hostiae dicebantur, ait Festus, quod Cauariae, id est, pars hostiae cauda tenus duceretur, et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.

Prodigiae hostiae dicebantur, quae consumebantur, ut Veranius et Festus scribunt. unde et prodigi dicti. Prodigialis uero Iupiter etiam legitur, cui Plautus mola salsa et thure comprecari ait.

Bidentes hostiae quae dicerentur, uarie proditum est. quidam oues tantum, alii et uerres, alii alia. de quibus sic Seruius apud Macrobius libro VI. Saturnaliorum, De bidentium, inquit, numero dentium, quem grammaticus ille opinatus est, reprehendendus a me non est, cum ipse iam riseris: uerum procurandum mihi est, ne illud obrepat, quod bidentes epitheton sit ouium, cum Pomponius egregius Attellanarum poeta in Gallis [p.672] transalpinis hoc scripserit: Mars tibi uoueo facturum, si unquam rediero, bidente uerre. P. uero Nigidius in libro quae de extis composuit, Bidentes appellari ait, non oues solas, sed omnes bestias bimas: neque tamen dixit, cur ita appellentur. Sed in commentariis ad ius pontificum pertinentibus legi Bidenes primo dictas, d littera ex superfluo, ut saepe assolet, interiecta: sicut pro reire redire, et caetera. hinc idem, ut putatur, Seruius libro quarto Aeneidos super eos uersus,

Principio delubra adeunt, pacemque per aras  
Exquirunt, mactant lectas de more bidentes.

Bidentes autem, inquit, dictae sunt hostiae, quasi biennes, quia neque minores aut maiores licebat hostias dare. sunt enim in bestiis, uel ut alii legunt, ouibus, duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent, nec in omnibus, sed in his quae aptae sacrificiis inueniuntur. Prosequitur Seruius apud Macrobius. Ergo bidennes primum dictae sunt, quasi biennes: et longo usu loquendi corrupta est uox, et ex

bidennibus bidentes dictae. Hyginus tamen, qui ius pontificum non ignorauit, in quarto libro quos de Vergilio fecit, Bidentes appellari scripsit hostias, quae per aetate duos dentes altiores haberent, per quos ex minore in maiorem transcendisse constaret aetatem. hoc idem quod Macrobius, Gellius ante dixerat libro Noctium Atticarum XVI. ubi etiam fatui atque arrogantis grammatici rident insolentiam, putantes de ouibus tantum dici bidentes, propter eos Vergilii uersus in VII. ut puto Aeneidos: Centum lanigeras mactabat rite bidentes, hoc idem quod Gellius et Macrobius Nonius Marcellus tradit de proprietatibus rerum.

Fuerunt et Ambaruales hostiae, de quibus paulo post in Ambaruali sacro, et Amburbio agemus.

Sed reliqua de hostiis breuiter afferamus. Trebatius libro primo de religionibus, Hostiarum in primis genera duo fuisse docuit: alterum, in quo uoluntas Dei per exta disquirebatur: alterum, quo sola anima deo sacrabantur. unde et animales hostias uocabant, id quod retro copiosius ostendam. In his ipsis hostiis, uel animalibus, uel consultatoriis, ut ait Macrobius quaedam fuere, quae Iniuges hostiae uocabantur: id est, quae nunquam domitae ac iugo subditae fuerunt. Harum et Vergilius meminit,

Nunc grege de intacto septem mactare iuencos

Praestiterit, totidem lectas de more bidentes.

Et ut iniuges euidentius exprimeret, adiecit,

Et intacta totidem ceruice iuencas.

Manilius Chrestus in libro quem de Deorum hymnis scripsit, ait Mineruae iniuges boues sacrificari solitas, id est, iugum quae nunquam tulerunt: illa uidelicet causa, quod et uirginitas iugum nesciat maritale, et uirtus nunquam sit iugo prementi subiecta. Idem quod et Placides Fulgentius repetit, in eo quem scripsit libro [p.673] ad Chalcidium. Caeteras quae de hostiis dici possent, suis locis in Deis ascripsimus. Quare iam par est, ut transeamus ad sacrificiorum et celebritatum pleraque nomina, quorum apud auctores frequens est mentio, ut nostro studio harum rerum studiosis inquirendi laborem in tui gratiam adimamus, atque ab Amburbio exordiemur.

Igitur Amburbium, quod et Amburbale sacrum dicebatur, sacrificium fuit, quoties urbs lustrabatur. id uero fuit mos fieri, cum prodigium aliquod urbi minari uideretur, et

taedis aut uictimis expiari conueniret, nonnunquam et sulphure et aqua. Sed et ouis combustis urbem uel totam, uel partem lustrabant: unde etiam Nouendiale sacrum institutum fuit, quod dupliciter actum apud Romanos obseruauimus. uno modo, cum defunctis parentabant, seque lustrabant, ut in Sepulchralibus docui: altero, cum prodigium aliquod accidisset, quod nouendiali sacro expiare solebant, ut est frequenter cum apud alios, tum maxime apud Liuium obseruatum. ita uero perficiebatur, ut uideo doctis placere. Nouem dies assidue deis sacrum faciebant, quod sacrum indici solebat uel a Pontifice Maximo, uel a Praetore urbano, ex senatus decreto. Fuerunt et Nonalia sacra, quae nonis celebrarentur: unde et appellata, ut M. Varro meminit.

Solitaurlia sacra fuere, quae singulo perfecto lustrum per Censores celebrari mos fuit, ad lustrandum urbem, suae, oue, et tauro: aut uerre, ariete et tauro: qui circum urbem ducebantur, tumque multa religione lustrum condebatur. ut fere sint, qualia τριάκτεια a graecis fieri consueuere. M. Cato de Re rustica, Agrum lustrare sic oportet, Imperans solitaurlia circumagi cum diuis uolentibus, quodque bene eueniat, mando tibi Mani, ut illa solitaurlia, fundum, agrum, terramque meam quota ex parte, siue circumagi, siue circumferenda censeas, uti cures lustrare: et caetera. Festus: Solitaurlia hostiarum trium diuersi generis immolationem signant, tauri, arietis, uerris, quod omnes integri solidique corporis sint: solum enim lingua Oscorum significat totum, et solidum. haec Festus. sed et Graeci ὄλον dicunt totum, et integrum. Porro de solitaurlibus meminit Liuius, Asconius, Quintilianus, aliique.

Ambaruale sacrum, ad arua et segetes lustrandas, multa prece et cerimonia celebrabatur. Pompeius Festus apud Macrobius: Ambarualis hostia, ait, quae rei diuinae causa circum arua ducitur, ab his qui pro frugibus faciunt. quod uolunt Vergilius in apotheosi Daphnidis significasse, cum ait,

Et cum lustrabimus agros.

Et in primo Georgicon

Terque nouas circum felix eat hostia fruges.

Ambaruale, ait Seruius, sacrificium, quod arua ambiat uictima: sicut Amburbale, uel Amburbium sacrificium, quod urbem circuit et ambit uictima. Dictum uero ab am, antiqua particula, quae circum significat: ut Amburbia

[p.674] etiam, b litera interposita ad consonantiam, ut etiam Ambio et Ambitus. Porro Ambaruale sacrum, nisi de porca foecunda et grauida, aut uitula fieri consueurat. Fuit autem Ambaruale sacrum, ut modo dicebam, cum arua et segetes solemnibus uictima lustrabantur. eam uictimam maturis frugibus ter circum arua ducere conueniebat, ut in Cereris sacris infra dicam, omnesque post clamantes sequebantur: ex quibus unus querna corona ornatus cum solemnibus saltatione, composito carmine Cereri decantabat laudes. ac postquam uino et lacte libasset, antequam fruges meterent, porcama Cereri immolabant: quae, ut dictum est, praecidanea dicebatur. Agri praeterea ita quoque plerumque lustrabantur. Iunoni et Iano uina prius libabant, mox Martem patrem aduocabant, ut sciens uolensque propitius adesset sibi et familiae. mox peracto sacro, agrum lustrabant: id quod M. Cato de re Rustica plenius est executus. Graecos quoque urbes lustrasse accepimus, edoctos ab Epimenide Cretensi, binis ouibus nigri et candidi uelleris, dimissis ex urbe pagoue quo ire uellent, libere sequentibus eas custodibus: qui ubicunque procubuissent, illas propitio deo immolabant. At uero Galli hominem saginatum per annum, festo die extra urbis pomerium lapidibus obruebant: itaque lustrari urbem putabant. Hinc etiam annotamus, anathemata a graecis dici sacros eiusmodi homines, qui ad urbium lustrationem expiationemue deis manibus et inferis deuoti mactabantur, si qua lues aut calamitas ingrueret, quam tali hominum interuisione Deis placatis sedatum iri putabant. ad quae sacra Diuus Paulus alludens, ad Romanos scribit: Optarem ego ipse anathema esse. id est, quod graeci dicunt ἀναθεματίζεσθαι, hoc est execrari et exterminari a Christo, modo sic illis prosim. Certe et D. Hieronymus notat uocem hanc anathema propriam esse Iudaeorum, et pro corporali occisione et detestatione, seu execratione desumi. Vtitur hac uoce et alibi D. Paulus, hoc est ad Corinthios et Galatos: item et in libris Mosis. Non me praeterit et quae ab aliis scribuntur, qui modo pro seiunctione quadam et deuotione sumunt, modo pro oblatione, et iis donariis quae deis tholis et templis offeruntur, ἀπὸ τοῦ ἀναθῆναι dicta, hoc est a seponendo, uel suspendendo. Hinc Prudentius contra Marcionem,

Organa, et externi laudant anathemata regni.

Sed illud graeci per ε, a uerbo ἀνατίθειμαι, id est execror, hoc per η scribunt. Certe et LXXII interpretes in Deuteronomio, et alibi hac uoce usi sunt. Est et uulgata Pythagorae sententia apud Stobaeum, θρηπολία μὲν ἀφρόνων πυρὸς τροφή, τὰ δὲ ἀναθήματα ἱεροσύλων χορηγία, hoc est, Sacrificia imprudentum, ignis alimentum: anathemata uero, id est oblationes sacrilegorum, impensa et chori inductio. Sed ad nostra redeamus. Si oues lustrarentur, [p.675] alia a supradictis ratio fuit. nam pastor summo diluculo aqua oues inspergebat, et sulphure, herbaque sabina, et lauro, igne succensis, circumcirca ouilia suffibat, cumque sacro carmine milio et libo cum lacte et sapa Pali deae sacra faciebat. Hoc suffimento pecora piari, et morbos depelli, et tabem putabant. Scribit in Hippiā maiore Plato, quod qui expiabant antiqui, Macariae Herculis filiae sacram rem faciebant, atque in primis pro re profana. Si uero exercitus lustrandus esset apud Romanos, in campo Martio exercitus instruebatur, et sue, aut hirco, oue et tauro lustrabatur. Milites ipsi lauro coronati, rem diuinam faciebant, sub diuo: et hunc lustrandi morem Seruium regem primum instituisse ferunt, et Armilustrum nuncupasse: in hoc illud maxime obseruare consueuisse accepimus, ut ii qui hostias ducerent, bonis et faustis nominibus appellati eligerentur. ex hac enim re certa omina, prosperi uel sinistri euentus ueteres captabant: quae superstitione et nostros plerosque hodie quoque inquinat. Alii hanc exercitus lustrationem ita peragebant, suem, ouem, taurum, qui puri essent, ter circum acies instructas praecedente pompa ducebant, Martique deo immolabant. Aliae porro lustrationes non Romani modo, et Graeci, sed et Hebraei, et Persae, aliaeque nationes: quae tamen omnes ad easdem referri queunt, nisi pro regionis et loci uel instituto et consuetudine, uel rerum copia.

Lustralia sacra appellabantur, quae quinto quoque anno, id est lustris peragebantur. aliquando tamen lustralia, pingua significat, quo modo interpretatur Lactantius grammaticus libro secundo Thebaidos in Noctis hymno,

Lustraliaeque exta

Lacte nouo perfusus edet Vulcanius ignis.

Lustralia, inquit, pingua: nec possumus quinquennalia accipere, cum constet anniuersarium sacrum dicatum fuisse. Lustralia ergo pecora sunt, quae per quinquennale

tempus deuota sacrificiis nutriuntur, et ideo pingua. Seruius quoque VIII. Aeneidos super ea uerba,

Vescitur Aeneas simul, et Troiana iuuentus  
Perpetui tergo bouis, et lustralibus ectis.

Lustralibus, inquit, aut pinguibus, moris enim fuerat completo lustris pingues uictimas offerre censores: aut certe de quinquennali boue, id est perfectae aetatis. nam et Homerus βούην πενταέννατον dixit. Sane lustratio quae fiebat post funus, praeclare tribus uersibus a poeta in sexto Aeneidos exprimitur, post iusta Miseno peracta. Idem inquit,

Ter socios pura circumtulit unda,

Spargens rore leui, et ramo felicis oliuae,

Lustrauitque uiros, dixitque nouissima uerba.

In quibus uersibus nihil est otiosum, sed omnia ex prisca religione desumpta. nam cum [p.676] omnis expiatio, seu expurgatio ad superos pertinere crederetur ternarium numerum superis sacrum adhibuit. Quin et uerbo apto lustrationi usus est, quod est Circumfero. unde et Plautus, Pro laruato te circumferam: id est, purgabo. codices uulgati non pro laruato habent, sed pro Cerito. Immo et ipsa lustratio, ut Seruius docet, a circumlatione dicta, uel taedae, uel uictimae, in quibusdam uel sulphuris. Iuuenalis:

Cuperent lustrari, si qua darentur

Sulphura cum taedis, aut si foret humida laurus.

Tum et aquam spargit poeta, quae sordes abluat, ramo felicis et festae oliuae: licet lauro potius id fieri soleret, ut dicit Donatus, et consentit Seruius, sed Vergilius mutauit propter Augustum: nam quo die natus erat Augustus, nata in palatio laurus erat, ex qua triumphantes coronabantur. et ideo ne lustratione lugubri uideretur adhibere, mutauit in felicem oliuam. Sane et aqua marina purgationes factas apud antiquos, et hodie fieri a Mauris, aliisque multis audiui. De mari Proclus, ut alio loco dictum, et M. Cicero de parricidis agens, in culeo insutis: Non sic in flumen abiicere, ne cum delati essent in mare, ipsum polluerent: quo caetera quae uiolata sunt, expiari putantur. Meminit et Aristophanis interpres. Nam, inquit, moris fuit expurgare profanatos, si ad mare deferantur, et abluantur. At res haec notior est. hinc etiam illud Catulli ad Gellium,

Suscipit o Gelli, quantum non ultima Tethys,  
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Insani quoque homines expiantur porco in primis. Id etiam Plautus in Menechmis ostendit. Nunc ipso naturae deo mihi responde adolescens, quibus his precii Porci ueniunt, sacres, sinceri? mumum a me accipe: iube te piari Demea pecunia: nam equidem insanum esse re certo scio. et paulo post: Hercle certo non sanus satis. et mox: Iube, si sapis, porculum afferri tibi. Ad hoc facit illud Horatii in Sermonibus:

Immolet aequis Hic porcum Laribus.

Idem et Varro confirmat libro secundo de Re rustica. Illud etiam fuit purgationis genus per Oscilla, cuius meminit Vergilius in secundo Georgicon,

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

de quibus copiose in primis Hyginus et Seruius. Oscilla uero ab ore cillendo, id est mouendo dicta, si Seruio stamus. alii ab osculo diminutium uolunt oscillum, ut a baculo bacillum. Santra tamen uetus scriptor: Oscilla, ait, quod oscillant, id est, inclinant, praecipitesque in os ferantur. at uero Cornificius: Oscillantes, inquit, ab eo quod os celare sint soliti personis, propter uerecundiam, qui eo genere lusus utebantur. Causa autem eius iactationis proditur, ut Festus scribit, quod Latinus rex praelio, quod ei fuit aduersus Mezentium Ceritum regem, nusquam apparuerit, iudicatusque est Iupiter factus Latiaris: itaque per sex eos dies feriatos [p.677] liberos, seruosque requirere eum non solum in terris, sed etiam qua uideretur coelum posse adiri per oscillationem, uelut imaginem quandam uitae humanae, in qua altissima interdum ad infimum, infima ad summum efferuntur. Nec desunt, qui exemplum Graecorum Italicos secutos putent, quod illi quoque, ut interfecto Icaro Erigone filia eius dolore impulsa suspendio perierit: quas necesse ut expiant Attici, oraculo moniti, Oscillorum celebritatem instituerunt, ut Seruius et Hyginus, et in Aratum Grammatici pluribus retulerunt. Prudentioribus tamen placuisse legimus, sacra Liberi patris ad animae purgationem pertinere. hinc et ei deo Mystica uannus Iacchi: nam uanno et cribro fit granorum purgatio. Omnis autem purgatio, aut per aquas, aut per ignem fit, aut per aerem, sicut et in sexto canit poeta:

Aliae panduntur inanes

Suspensae ad uentos, alii sub gurgite uasto,

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni. qua de re alibi nonnihil retuli, et ibi plura Seruius.

In purgationibus praeterea notamus oua adhiberi solita, et sulphura, tedas, lauros, et similia, ut ex Plinio, Iuuenale, Ouidio, Apuleio, poetis caeteris colligimus. Fuit et expiationis apud Graecos alia ratio in pestilentia, aut fame, aliaue calamitate, maioriue aliquo discrimine, qua hominem abiectum perquirebant, quem caricis, placentis, caseoque alliciebant, eum septies uirgis quibusdam ad pudenda uerberabant, tum demum fouea confossa cremabant, cineres in mare proiciebant: eo sacro arbitrati urbem expurgari, Catharmon id appellantes. Meminit Isaacius apud Lycophronem, item Hipponax in Iambis. Quidam et Anathema uocant, ut paulo ante ostendi. Apollonius uero Tyaneus, ut est apud Philostratum et Eusebium, non minus tetra expiatione usus in Ephesi pestilentia est. nam mendicum senem lapidibus obrui praecepit, ut eam auerteret. Historia est nota. hanc ferme expiationem, seu deuotionem potius, fecisse Abderitanos certis diebus, innuit Ouidius in Ibin:

Aut te deuoueat certis Abdera diebus,

Saxaque deuotum grandine plura petat.

Morem insuper fuisse legimus expiandi purgandique classem, id quod et in libro de Nauigiis scripsimus. In littore maris altaria posita marinis undis alluebantur, omnisque circumstabat multitudo linguis fauens. tum sacerdotes in mari stantes, sacrum faciebant, terque per classem scaphis circumuecti, sacra piamina ferebant, ducibus et nauarchis una annauigantibus, ipsaque piamina attollentibus, ut ab exercitu totaque classe infelicia cuncta auerterentur, ac depellerentur. Alium puerorum expiandi morem antiquis fuisse, demonstrat Persius Satyra secunda:

Ecce auia, aut metuens matertera cunis, [p.678]

Exemit puerum, frontemque atque uda labella

Infami digito et lustralibus ante saluis

Expiat, arentes oculos inhibere perita.

Sed et Graeci solebant pro infantibus sacrificare, quinta a partu die, quam rem in Truculento Plautus argutissime his Dinarchi uerbis ostendit: Quin deis, inquit, hodie sacrificare pro puero uolo ascititio. Addit Phronesium meretrix, Immo hercle uero quinto die, quod fieri oportet, censeo. Hunc autem morem expiandi Plato in Theaeteto dilucide declarat, quo loco sic Socrates loquitur: Hanc prolem, ut uidetur,

qualiscumque sit, uix demum genuimus: post partum uero, ut moris est, quinta die ab eius natali, solennia celebrantes, circulo cursim circumferre debemus, praecauentes ne nos fallat, si fortasse educationi digna non sit, sed inanis ac falsa: num censes natum tuum omnino alendum, nec ullo modo abiiciendum? an forte reprobatum uidens primogenitum tuum, non moleste feres de medio tolli? hactenus apud Platonem Socrates. Quibus uerbis planum uidemus, quod obscurum apud Plautum uidebatur. Sed et fuit nostris, hoc est latinis lustricus dies, quo lustrare infantes solebant antiqui, et nomina imponere foeminis quidem VIII. maribus IX .die, ut Macrobius Festus et Plutarchus ostendunt: unde etiam dea Nundina a nono die dicta, ut alibi docui. Sed et Hebraei peritomen, id est circumcisionem suam, VIII. die ut plurimum, ut nos sanctam absolutionem, quod graece baptisma appellamus, facere consueuerunt. Porro expiatio, seu purgatio de nece hominis, quae fiebat priscis, scribitur a Pausania in Attica: Cum, inquit, Theseus Pallantis filios interfecisset, Troezena profectus est purgationis causa: hoc est, τούτους κτείνας, ἐς τροιζήνα ἔρχεται καθαρσίων ἕνεκα, ne forte te decipiat Domitii interpretatio. Meminit item alterius eiusdem Thesei purgationis, ob caedem quam de latronibus fecerat, a Phytali nepotibus. Item in Corinthiacis narrat Apollinis et Dianae expiationem, de Pythonis morte. de his etiam saepe apud auctores leges: ut apud Herodotum in primo de Adrasto, qui ea causa ad Croesum regem iuerat, ut expiaretur, et incaute regis filium interemit. Nota est historia. nihil omnino notius apud auctores, si quis nece aliqua pollutus esset, bis septies se inundationibus uestesque aqua abluere solebat: unde etiam saepe legimus huiusmodi expiationes apud flumina factas. Fuit et in hoc genere expiaminum, ut Varro de Lingua latina docet, piacularis hostia, cum quid cum piaculo factum esset. Varronis uerba: Praetor, inquit, qui tum factus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur. Dicimus et piaculare sacrum, et piaculare sacrificium: utrunque apud Liuium legimus. hinc et Piacularis Romae porta appellata fuit, propter piacula quae ibi fiebant: uel ut Cloacius ait, quod piaculum ibi solueretur piandi, uel propiciandi causa. Lege Festum, a quo et illud proditum est: Piatrix dicebatur [p.679] sacerdos, quae expiare erat solita: quam

quidem alii uocabant simulatricem, alii sagam, alii expiaticem. Et piamenta etiam dicebantur, quibus in expiando utebantur, siue purgamenta. Demum Epimenides Phaesto urbe Cretensi oriundus, expiationum carmina composuit, et de his librum uersibus edidit, ut in decimo Strabo, aliique prodidere. Sed iam nos nonnihil de celebritatibus et festis tum Romanorum, tum Graecorum afferamus.

#### DE CELEBRITATIBVS, ET FESTIS.

Sed et nonnihil iam de Romanorum et Graecorum celebritatibus et festis afferamus, ut intactum tibi nihil mittamus. incipiamque a Latinis feriis, de quibus ita Plinius: Feriis Latinis, ait, in Capitolio quadrigas certasse, uictorem absinthium bibisse, quod eo maiores arbitrarentur sanitatem honorifice dari. Latinas uero ferias, inquit Varro, a Latinis populis dici, quibus ex Albano monte carnem petere cum Romanis ius erat. Plura de his in Ioue scripsi, Arnobius libro secundo, ubi de Cerimoniarum mutatione agit. In Albano, inquit, antiquitus monte nullos alios licebat, quam niuei tauros candoris immolare, nonne istum morem religionemque mutastis, atque ut rufulos liceret dari senatus constitutum sanctione? De hoc sacro et Alicarnasseus plura. hoc autem Latinarum sacrificium, Latiar uocabatur, ut Macrobius ait in Saturnaliis. M. Cicero ad Quintum Fratrem: De nostra, ait, Tullia spero cum Crassipede nos confecisse: dies erant duo, qui post Latinas erant religiosi, caeterum confectum erat, Latiar erat exiturus ad VIII idus Apr., sponsalia Crassipedi praebui. Sicut uero Latiar dicebatur, ita et Palatiar, sacrificium quod in Palatio fiebat: Festus. Alii Palatuar legunt, unde et Palatualis flamen, qui ei deo constitutus erat, in cuius tutela Palatium esse credebatur.

Palilia, uel Parilia, Palis deae solemnitas, dies urbis Romae natalis fuit, XII. Kal. Maias, ut planius infra ostendam, et in primo quoque libro ubi de Pale actum est.

Matralia, Matris Matutae, Iunio mense peragebantur. de his in nostris Fastis sum locutus. in his liba rusticana sumebantur, nec ad ea sacra ancillis accedere licebat. Matronalia uero Kalendis Martiis agebantur, ut Horatius, Ouidius, et Acron ostendunt, et Plutarchus et Festus. Fuerunt et Meditrinalia, a dea Meditrina: de qua suo loco ex Varrone et Festo actum est.

Megalesia, Magnae matri nonis Aprilis agebantur: Ouidius. Varro ait, quod ipsa accersita ex libris Sibyllinis ab Attalo rege Pergami [p.680] prope murum Megalesion, in templum eius deae, unde aduecta Romam: quod copiosius traditum est in ipsa dea.

Opalia, deae Opi mense Decembri fiebant: Varro, Macrobius. Caetera in Opis descriptione repete.

Angeronalia quae essent, in ipsa dea Angerona explicui, ubi et de Consentis.

Quinquatria, quae et Quinquatrus, Mineruae dies, XV. Kal. Apr.

Minusculae uero idus Iulii Festus. Sunt qui Munusculae legant, a muneribus.

Cerealia: uide retro, ubi de Cerere agemus.

Populifugia mense Iunio a Romanis celebrabantur, ut docet Macrobius. Varro: Iunio, inquit, mense dies Populifugia, uidetur denominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus. non multo enim post hic dies, quam decessus Gallorum ex urbe et qui tum sub urbe populi, ut Ficuliatas, ac Fidenates, et finitimi alii, contra nos coniurauerunt. aliquot huius diei uestigia fugae in sacris apparent, de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt, ait Varro.

Fornacalia XII. Kal. Mart. a Fornace dea, de qua in primo actum est.

Hilaria laetitiae celebritas, VIII. Kal. Apr. Vide nostros Fastos. horum meminit Macrobius, et Vopiscus in Aureliano.

Lemuria sacra, sedandis Lemuribus Remi, mense Maio celebrata, ut Ouidius et Porphyrius tradunt, et ego alibi plura.

Quirinalia, XII. Kal. Maias, quae et feriae Quirini dictae. Ouidius et Varro.

Regifugium, VI. Kal. Apr. sacrum uero VI. Kal. Iul.: Ouidius.

Terminalia, mense Febuario: de quibus alibi, hoc est in Termino, plura.

Feralia dicta, cum ferebant epulas ad sepulchra: Varro, et plura infra, cum de inferorum sacris agemus, ubi etiam de Februis, et aliis.

Liberalia, quae et Bacchanalia, et Dionysia: Festus, Macrobius. haec et Orgia dicta fuere. Sane Liberalia et Bacchanalia non eodem tempore fiebant. nam Liberalibus togae pueris dabantur, XVI. Kal. Apr. ut Ouidius in III. Fastorum, et ipse in meo Calendario notauit. Horum M. Cicero nec semel meminit ad Atticum, et alibi: Liberalia, inquit Varro, dicta, quod per totum oppidum eo die sederent

sacerdotes liberi, et anus haedera coronatae cum libis et foculo pro emptore sacrificarent. Bacchanalia uero singulis mensibus agebantur, quae sublata fuerunt a Posthumio Cos. propter dedecus. Porro in Graecis inuenio, Dionysia tripliciter Athenis celebrata fuisse: prima quidem per agros, mense Posideone: altera Lenaea, eo mense qui ideo Lenaeon dictus est, de quo in nostro de Annis et temporibus, etc. tertia Dionysia, mense Elaphebolione celebrabantur. [p.681]

Equiria, ab equorum cursu dicta, ait Varro: haec Ouidius duplicia commemorat, in Martio scilicet, et Aprili.

Compitalia, ut Festus ait, festa quae in compitis agebantur. Varro, Laribus compitalia diem attributum ait, ubi uiae competunt, compita: et tum ibi sacrificabatur, quotannisque is dies concipiebatur, ideoque inter conceptiuos dies relatus. hinc et ludi compitalitii nuncupati, de quibus in Laribus actum est abunde.

Consualia, Conso deo celebrata, dicta quod cum feriae publicae ei deo in circo ad aram eius ab sacerdotibus fierent, et ludi illi, uirgines Sabinae raptae fuere, XVII. Kal. Sept. In Conso plura dicta sunt.

Furinalia, seu Furnalia, deae Furinae festa, ut in primo dictum.

Vulcanalia mense Sextili agebantur. uide Vulcanum.

Vortumnalia, a Vortumno dicta, cuius feriae, ait Varro, mense Octobri. Et hoc lege in Vertumno.

Apollinares ludi prius incerto tempore celebrati, post a Licinio Varo Praet. lege lata, III. Non. Quint. celebrati, boue aurato, capris duabus albis auratis: Macrobius et Seruius in VI. Aeneidos. Hos ludos Laureatum populo spectasse, Festus scribit, stipe data pro cuiusque copia.

Caprotinae Non. Quint. dictae, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinae mulieres sacrificabant, et sub caprifico faciebant, ipsius arboris lac offerentes. quin et e caprifico uirgam adhibebant, ut ait Varro. Plura sunt a me in Iunone relata. Ancillarum hic dies festus fuit, Caprificia nuncupata, ab arbore caprifico, sub qua sacrum fiebat. plura Macrobius: Plutarchus tum in Romulo, tum in Camillo, et item in Parallelis. Plinius uero initium Caprificiorum Vulcano sacrum fuisse ait, ita scribens: Vindemiae mellis Attici signum dedere Caprificiorum diem, Vulcano sacrum.

Plerique putant, Caniculares dies Caprifici dies esse. Notius uero est, hunc diem ab Ouidio in Arte notatum esse, in illo,

Porrige et ancillae, qua poenas luce pependit  
Lusa maritali Gallica ueste manus.

Laurentinalia, X. Kal. Ian. celebrabantur, ut docui in Fastis. M. Cicero ad Brutum: In eoque sum maiorum exemplum secutus, qui nunc honorem mulieri Laurentiae tribuerunt, cuius uos pontifices ad aram in Velabro sacrificium facere soletis. alii Laurentalia libentius legunt, de quibus et Festus. Varro: Feriae publicae Laurentinae, is dies, quem diem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die qui Acca dicitur, etc. Porro et quidam Laurentalia absque u in prima syllaba enunciant. alii duas faciunt, quod planius in Flora notauimus.

Faunalia, in quibus Fauni sacrum Non. Dec. celebrabant. Horatius in Odis, et eius interpretes: plura ipse in Daemonibus. [p.682]

Mercatorum dies festus idus Martius, ut Festus scribit. Idem et seruorum dies festus, idus Sextilis.

Agonalia inferius a me commemoranda, ariete agebantur, V. Id. Ian. Numa Pompilio auctore. de his et Ouidius. Haec et Agonia dicuntur, et duplicia erant: altera quidem Ianuario altera XII. Kal. Maias celebrata, ut planius in Calendario ostendi.

Carmentalia a carmenti dicta, ut suo loco ostensum est. haec uero annis singulis a matribusfamilias XVIII. Kal. Feb. fiebant: in quibus aliquid scorteum, aut sua morte preemptum attulisse, piaculum fuit.

Robigalia VII. Kal. Maias, ut in Fastis notauimus, celebrabantur. alii licet VI. Kal. scribant. De Robigo deo in primo abunde dictum est, atque ideo hic repetere superuacaneum est. Oue et cane Robigo deo sacrum agebatur, ut infra ostendam. Floralia quo pacto, quae cerimonia celebrarentur, in deae Florae descriptione copiose disserui. haec uero IIII. Kal. Mai. agebantur, quidam tamen VI. Non. Mai. scribunt.

Fordicidia, inquit Varro, a fordibus dicta sunt. Bos forda, quae fert in uentre, quod ea die publice immolabantur boues praegnantes in curiis. Complures a fordibus caedendis, Fordicidia dicta autumant. haec et Fordicalia dicta fuere, et XVII. Kal. Maias celebrabantur. Festus et Ouidius.

Lupercalia Romanorum celebritas, XV. Kal. Mart. (licet aliter alii scribant) celebrabantur. in his caprae candidae immolabantur, uel ut alii tradunt, canes. Februatus is dies, teste Varrone et Censorino, dicebatur. Februalia sacra ad expiandos manes fiebant, graece Λυκαῖα dicta, a Pane Lycaeo, deo Arcadico, qua de re in eius descriptione plura dixi. nunc illud tantum: Haec sacra a Lupercis celebrabantur, quorum uaria fertur institutio, ut a Plutarcho in Romulo pluribus traditur. Magis illa recepta est, quae de Euandro Arcade rege proditur, qui ex Arcadia profugus, in Latio Palatium tenuerit, nudosque ibi iuuenes hoc sacrum per ludum et lasciuiam primum agere instituerit, quam et Iustinus commemorat ex Trogo. Quidam fabulose in Herculem et Faunum referunt, ut in Fastis Ouidius. Alii in Romulum et Remum, qui cum Quintiliis et Fabiis in lucta cum essent, abactores pecorum, ut erant nudi, insectati sunt: et recuperata praeda, id sacrum instituerunt. quod idem recitat Ouidius. Sunt qui tradant, quod Romulus Remusque Amulio caeso foedati cruore uultus, nudatis gladiis et succinctis uestibus, ab Alba ad Ruminalem ficum usque cucurrerint. Varia quoque de nomine traduntur. Plerique enim a lupis, qui λύκοι graece dicuntur, nomen deducunt, quod scilicet lupi arceantur a stabulis. alii a lupa non miti, quae abiectis infantibus [p.683] pepercerit: unde et Luperca dea est auctore appellata Varrone, ut scribit Arnobius. Iustinus uero ex Trogo libro XLIII. Lycaeum, ait, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, qua de re plenius in Pane dixi. Alii tradunt, quod ludicrum ipsum, seu templum Lupercal dicerent in specu sub monte Palatino, quod et poeta innuit, cum ait,

Et gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Ouidius de Romuli lupa nutrice,

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,

Magna dati nutrix praemia nomen habet.

Lupercal, ait Liuius, ludicrum in monte Palatino. Quare et ego ad Riccium in Hendecasyllabis cum me ludis et spectaculis interesse ob infirmam ualetudinem non posse dixissem:

Hinc qua me ratione cogitare

Putas, perpetuo esse me grabato

Damnatum, atque triennium iacere.

Et paulo post,

Nec quos ferre solet iocos Lupercal.

Nec desunt, qui auctore Fabio, Lupercal dicant uocatum esse, quasi luere, id est purgare

per capram. nam ut iam dictum, de capra in primis sacrum fiebat. sed enim ea Lupercis fuit praecipua ueneratio, ut quae minus foecundae mulieres haberent, minusque foetus ederent, ad lupercos confugere solerent, qui capris direptis tergoribus, eisque succincti, circum antiquum oppidum, hoc est Palatium discursabant, loris coriisue occurrentes, uerbera incutientes. His foeminae ultro obuiam prodibant, facilem eo uerbere partum sibi sperantes. Hinc Ouidius, in Fastis,

Excipe foecundae patienter uerbera dextrae,  
Iam socer optatum nomen habebit aui.

Et Propertius,

Verbera pellitis setosa mouebat arator

Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.

plura Plutarchus in causis Romanis. Iuuenalis in molles et pathicos,

Nec prodest agili palmas praebere Lupercu.

Diu uero Lupercorum superstitio Romae durauit. Nam et Iulii Caesaris temporibus fuit, cum M. Antonius in his uoluit regium diadema illi imponere. historia est nota. plura Plutarchus in M. Antonii et Caesaris uita. Id moris in Lupercalibus seruabant, ut nobiles adolescentes sibi faciem sanguine inficerent, et alii occurrerent cum lana, lacte madida, id tabum abstergentes, Romulum scilicet et Remum imitantes. nonnunquam et laruis personisque obiecti id sacrum peragebant, quo pacto et nos eo anni tempore personis inducti cursitantes insanire solemus. Scribit Festus, Fabiani et Quintiliani appellabantur Luperci, a Fabio et Quintilio, eorum praepositis. Ouidius tamen in secundo Fastorum Fabios Remi ait socios, et Quintilios Romuli: qui dum sacrificarent Fauno, caesa capella, et a pastoribus nunciatum esset, pecora parte diuersa abacta, in hostes exiuerunt. [p.684] Et prior Remus recepta praeda cum Fabiis rediens, exta et uiscera capellae immolatae absumpsit, et ossa tantummodo Romulo seruauit. Quare commotus Romulus indoluit, quod Quintilii sui neglecti fuissent, et tantum Fabiis licuisset: a qua, aiunt, licentia Licentes Fabii posthac appellari fuere, et in Lupercalibus principes habiti. hinc illud Propertii paulo ante citatum,

Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.

Et Ouidius, de Romulo,

Risit, et indoluit Fabios potuisse, Remumque Vincere, Quintilios non potuisse suos.

Sed tamen si quis Licens pro licentioso interpretabitur, me iudice, non insulse

exposuerit. Sunt quoque qui Licens illud apud Propertium, Lyceus legant. Et certe ego uetusta uidi exemplaria, quae eam lectionem adhuc conseruent.

Lucaria festa dicebantur, quae in luco a Romanis celebrabantur, qui lucus permagnus erat inter uia salariam et Tiberim, pro eo quod uicti a Gallis fugientes e praelio, ibi sese occultauerunt: Festus. Lucar uero aes dicebatur, quod ex lucis captabatur. alii erogationem quae in lucis fiebat: et lucaris pecunia, quae in luco erat data. Plutarchus tamen in Problematis, Lucar praemium fuisse scribit, quod in spectaculis impendebatur. Lucaris meminit Cornelius Tacitus, libro primo.

Fontanalia, quo anni tempore fierent, ut mihi incompertum est, ita Varrone et Festo testibus describuntur. quorum hic: Fontanalia, ait, fontium sacra, unde et Romae Fontanalis porta. ille uero, a Fonte dici tradit, quod eo die feriae ab eo, cum in fontes coronas iaciebant, et puteos coronabant.

Tubilustria, quae et Lustria dicta fuere, celebritas fuit apud Romanos, qua tubae sacrorum in atrio Saturio expiabantur, mense Martio. Varro auctor. id sacrum agna fiebat, teste Festo. Tubilustria, ut Ouidius ostendit, XIII. Kal. Iun. peragebantur:

Proxima Vulcani lux est, quam lustria dicunt:

Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.

Armilustrum, et Armilustria uocata, ut Varro et Festus tradunt: in quibus Ancylia per urbem deferebantur. Armilustrum alibi scripsi Seruio Tullio institutum. alii tamen a Numa tradunt. Aquilicia quoque sacra a Romanis fieri solita legimus. Cum in magna siccitate aqua esset euocanda, quod cum alibi, tum praecipue apud Tertullianum est uidere, qui ait ea Ioui immolari, in Apologetico. Hinc et sacerdotes, qui a Ioue aquam eliciebant, Aquilices dicebantur, eodem aduersus Martionem auctore. De Nudipedalibus uero sacris, cum et per uota fiebant, uel populo denunciarentur, alibi memini me scripsisse.

Vinalia duplicia fuere, ut Varro, Plinius Festusque ostendunt: altera uinis degustandis, IX. Kal. Mart. cum uina pura esse putabantur, quo die Ioui nouum uinum libare mos fuit, quod ex dolio hauriebatur in [p.685] uase: altera uinalia fuere, in quibus Flamen Dialis uindemiam auspiciebatur: maturis uuis, uinum legere, et uindemiam fieri iubebat: quibus diebus agnam immolabat, interque caesa et

porrecta uinum legebant: quo tempore et ex fano Veneris uinum affatim effundebant. fuit etiam ueteri lege sancitum, ut Flamen Martialis diceret diem ueteri uino libando medicaminis causa. inde usurpatum uerbum, Nouum uetus uinum bibo, nouo ueteri morbo medeor. Vnde meditrinae nomen deae, cuius sacra Meditrinalia, et dies Meditrinalis, ut alibi diximus. In primitiis etiam pomorum noua uetera esse dicebant, et alia exoptabant noua ominis causa. Fuerunt et rustica uinalia XII. Kal. Sept. ut Varro ait: uel XIII. ut ex Festo et ueteribus Fastis in nostro de Annis et mentibus caeterisque docuimus: quo die Veneri aedes dicata fuit, et horti eius tutelae assignati, et tum fuere olitores feriat. de his Varro in primo de Re rustica ita tradit: Mineruam et Venerem uenerari oportere, quarum unius procuratio oli, alterius hortorum: quo nomine rustica uinalia instituta. Sed quod hortis praeesse Venus putaretur, plura in Hortensi Venere dixi. hae quidem uinaliorum feriae, sedandis et leniendis tempestatibus solennes habebant. His etiam nouum uinum in urbem ferre, et in uinariis cellis condere moris fuit. Sed et apud Thusculanos cautum lege fuit, ne quis nouum uinum antequam uinaria calarentur, in urbem inueheret. quin et hodie in consuetudine est in Latio, in oppidisque urbem proximis, ne quis uindemiam inchoet, nisi publico edicto promulgato, quo uindemia indicitur. Porro et Romanis uino et nouis frugibus uesci non licebat, priusquam sacerdos primitias libasset: Graecis ante uernum aequinoctium uitem incidere, ante autumnale uam gustare nefas habebatur. sed et Προτρυγέα celebritas Dionysio peragebatur, et Neptuno, ut scribit Hesychius. Nos interpretari possumus, Ante uindemia. hinc et stella Protrygitis, de qua alibi ex Critolao actum est.

Septimontium festum Romanorum inueni nuncupatum, cum septimus collis urbi esset additus: in cuius celebritate in locis septem sacrum factum esse, testis est Varro, Palatio, Suburra, Velia, Fagutali, Coelio, Oppio, et Cespio. quo die per urbem uehiculis uehi, criminosum habitum fuit. Plura affert Plutarchus in Causis Romanis.

Charistia Romani graeca uoce festum uocauere, quo cognati et consanguinei conuenire solebant, et inuicem mutua dona dare. Ouidius in Fastis,

Proxima cognati dixere Charistia patres,

Et uenit ad socios turba propinqua deos.

haec autem fiebant XI. Kal. Mart. Valerius Maximus libro secundo: Conuiuium, inquit, solenne maiores nostri instituerunt, idque Charistia appellauerunt (etsi aliqui Eucharistia legunt, qua uoce nostri altaris sacrificium et corporis Domini nuncuparunt= Subdit Valerius, Praeter cognatos et affines nemo [p.686] interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiae adhibitis tolleretur. Sed iam et graeca sacra, et celebritates, quantum pro tempore succurrerint, tibi commemorabo, in primisque ab Hecatombe exordiar.

Hecatombe celebre Graecorum sacrificium fuit, qua uoce et Latinos interdum usos uidemus. Iulius Capitolinus: Tantum, inquit, sane laetitiae in Balbino, qui plus timebat, ut Hecatomben faceret, quod tale sacrificium est. Centum arae uno loco construuntur cespitiatae, ad eas centum sues, centum oues mactabantur: inde si Imperatoris sacrificium fieret, centum leones (uel ut aliqui legunt, oues, quod parum mihi placet) centum aquilae, et caetera huiusmodi animalia centena feriebantur: quod quidem etiam Graeci quondam fecisse dicuntur, cum pestilentia laborarent, et a multis Imperatoribus id celebratum constat. haec ferme Capitolinus. Igitur fuit hoc sacrum interdum centum bouum: sed et ouium interdum, et caprarum, et suum. Fuerunt et qui ex omni genere hoc sacrum peragerent, qui etiam σύσκιον, id est opacum et umbrosum nuncuparunt. Sunt qui centum pedum uictimarum dixerint. ab hoc et Hecatombaeus mensis a Lacedaemoniis, in quo et festa Hiacynthia fiebant. quo de mense certiora attulimus ex uariis auctoribus in nostro de Annis mensibus et caeteris. Hinc et Iupiter et Apollo Hecatombaeus dicti, et Hecatombaea celebritas. Sunt qui Hecatomben ita describant, sacrificium non simplex, nec uulgare, sed sumptuosum et splendidum, utpote quod ex centum uictimis constaret: ut etiam χιλιώμβη, ex mille bobus, seu uictimis. Alii abusiue dictum putant, ut finitum pro infinito numero ponant, et cum dicimus ἐκατόνζυγα ναῶν, hoc est multorum iugorum nauem. Inuenimus et βούπρωρον sacrificium quoddam, ex centum ouibus et boue uno. Alii et βουάρχην dicunt, ut notat Hesychius. Sane quidam non a uictimarum numero, sed quod centum Peloponnesi urbes id sacrum facerent:

ut Hecatombe a sacrificantium numero dicatur, non hostiarium. Hac quoque ratione qua Hecatombe dicitur, et εικοσίβοια et poetice ἐκικοσίβοια ex XX bobus dicuntur.

Βουφονία festiuitas quaedam fuit apud Athenienses, quae in Diipoleis, id est Iouis Polei honore agebatur. in his bos mactabatur ab eo qui ex re βουφόνος id est bouicida dicebatur: qua de re in Ioue Polieo satis multa attuli. Sacrum istud ob uetustatem desitum, nomen tantum modo retinuit. Siquidem cum prius bos caederetur, mox popanon pro boue offerebant: popanon ipsum, id est placentam nuncupantes bouem, ut ex Hesychio didicimus. De Buphoniis uero meminit in Nebulis Aristophanes καὶ κηκείδου, καὶ βουφονίων. Et Cecidae, inquit, et Buphonorum. [p.687] De Cecida in Poetis aegimus, qui Dithyramborum poeta fuit. De Buphono uero plura in Attica Pausanias.

Διπόλια peruetusta Athenis celebritas fuit: sic uocata, quod Ioui Polieo perageretur, ut alibi scripsi. Sed quoniam, ut dixi, peruetusta fuit: hinc Aristophanes pro prisco et obsoleto διπολιώδη posuit, ut obsuerant grammatici.

Μηλοσφαγίαι sacrificia apud Graecos fuere. quae ab ouibus iugulandis nuncupata fuere, μῆλα quippe, ut notum est, pecora dicuntur. Hesychius auctor.

Hysteria sacra, quae de sue fiebant, ut in Veneris sacrificiis planius tradetur.

Anthisteria celebritas, quae in Anthisterione mense agebantur: in qua, ut a Latinis in Saturnalibus, serui conuiuibus liberalibus excipiebantur. quibus peractis prouerbium emanauit, Ite foras Cares (id est κάρες θύραζε, quasi dicat, serui) non amplius Anthisteria, ut etiam in Annis et mensibus nostris dictum. Fuit et prouerbium alterum, ἡ κισσὸς μετ' ἀνθιστήρια, hoc est, hederam post Anthisteria: cum serius quippiam fit, et post tempus. Existimant enim plerique, Dionysio Anthisteria dicata fuisse, in quibus et κίττοφόροι, id est hederigeri introducebantur. haec et Pythoegia, et aliis nominibus appellata fuerunt. Ambrosia quoque Dionysii festum, apud Iones in primis, quae Lenaea et Choae dicebantur.

Anthesphoria festiuitas fuisse traditur, quae in Proserpinae honore fiebat, sic uero appellata a legendis floribus. nam cum a Dite est rapta, floribus legendis intenta erat: ut ex Ouidii et Claudiani carminibus liquet in primis. quinimmo etiam θεογαμία eidem, hoc est

nuptiarum celebritas, cum Diti nupsit, celebrabatur.

Gamelia solennitas nuptialis, et mensis Gamelion, in quo Iuno Gamelia culta. Gamelia uero mense Ianuario celebrabantur, quod plane ostensum est in nostro de Annis et mensibus, etc.

Anacalypteria, ἀνακαλυπτήρια dies festus fuit post nuptias, cum sponsa reuelabatur, ut ab omnibus conspiceretur: tametsi munera etiam significant, quae eodem die sponsae exhibebantur: non his dissimilia, quae Repotia a nostris dicta sunt.

άλῶα, τὰ, numero plurium, ut fere caetera, festiuitas fuit agricoliarum Athenis, quae subuectis ex agris frugibus in honorem Cereris et Bacchi celebrabatur, ut Philochorus prodit. sic uero dicta, quod in areis, quae graece ἄλωα dicuntur, praecipue moras traherent homines. unde et Cererem ἀλώαδα nuncupatam legimus, quae et ἀλωίς et Eualosia cognominata, ut in Cerere planius diximus.

Elaphebolia festa celebrabantur mense Febuario ab Atheniensibus, in quibus cerui Dianae Elapheboliae sacrificabantur: unde et mensis ipse Elaphebolion dictus. [p.688]

Theoxenia celebritas et sacrificium, quod omnibus simul deis exhibebatur: Pollux et Hesychius auctores. Sed plura leges in commentariis Pindaricis, qui ea instituta tradunt a Dioscuris, a deorum hospitalitate et commercio appellata. in his uero quoniam et ludi agebantur, praemium uictorem chlaena, seu chlamys erat.

Apaturia festiuitas fuit apud Athenienses. Meminit Xenophon in primo Hellenicon: quanquam et alibi agerentur. hanc quadriduo celebrari solitam proditum legimus. Quomodo uero instituta fuerit, in Venere tradidimus: inde repete. Apaturia etiam inter prouerbia memorat Erasmus: profectus ad Apaturia rediit Thergelione, id est Aprili: licet ipse Maio interpretatus sit. historiam in fabula Acharnarum Sitalcis Thraciae regis filii, qui in ea, id est Apaturiis urbe donatus fuit, irridet. In his prima dies δόρπεια, altera ἀνάβρησις, tertia κουρεώτις, extrema ἐπιβδα dicebatur.

ἐμπλοκία celebritas fuit apud Athenienses, in qua mulieres plexis capillis procedere solebant: Hesychius. Cotytia festa barbarica fuerunt, quorum meminit Horatius et Vergilius in poematiis, quae a Cotytto dea denominata: de qua in ipsa dea etiam egimus. De Bendidiis

quoque sacris ibidem meminimus, et item in Bende Diana.

Pammilia celebritas etiam fuit, de qua in Osiri actum est.

ἀνάκεια solennitas fuit, quae in honore Castoris et Pollucis fiebat, nam Anaces ipsi dicti sunt, ut in nostris Nauigiis, et in Dioscuris tradidimus, et in ἄναξ Apollo.

διαβατήρια, τὰ, sacrificia dicebantur, quae in transitu aliquo fiebant, παρὰ τὸ διαβαίνω, id est transeo. eadem forma Diabateria dicta sunt, qua etiam Niceteria. Plutarchus in Lucullo, ἔθυσσε τῷ εὐφράτῃ διαβατήρια: Sacrificauit, inquit, Euphrati diabateria, hoc est, sacra pro transitu.

Nephalia apud Graecos fuisse sacrificia legimus, quae sine uino celebrarentur, ut docet Iulius Pollux: unde et uerbum νηφαλεύειν, hoc est eiusmodi sacris uti. Suidas ait, apud Athenienses Nephalia exhibita fuisse Mnemosynae, Aurorae, Soli, Lunae, Veneri Vraniae, et nymphis. in hoc autem sacrificio non uinum, sed aquam mulsam libabant. Pausanias tamen ait, Eleos thure, cum tritico melle subacto, additis oleae ramis, aras suffire solitos, et uti uino: solis autem nymphis, καὶ ταῖς δεσποίναϊς, id est Cereri et Proserpinae, uinum minime libare consueuisse, nec ad aram omnium deorum. uerum de Cereris sacris alibi plenius aegi. Sunt et qui hoc sacrum Dionysio interdum, et Erechthei filiabus exhibitum tradant, ut testatur Philochorus. Sane hoc sacrificii genus ἄοινον etiam appellabatur, hoc est absque uino: ut e contrario οἰνόσπονδον, in quo uinum libatur. Fuerunt praeterea Nephalia ligna arida, quae in sacrificiis prima incendebantur, ut etiam ἄκαπνα, id est, non fumida.

Helenophoria festum apud Athenienses, in quo mysteria agebantur, sic appellata ab Helenis, id est cistis, quae uimine contextae [p.689] erant: ut Iul. Pollux in ultimo docet. habebant uero ansas salignas. similes et nos hodie habemus in domesticis usibus. De Mysteriis uero alibi plura, et de Eleusiniis diximus.

Oschophoria celebritas, seu festum Athenis fuit, cuius apud auctores et in primis Plutarchum crebra est mentio. In Oschophoriis pueri ingenui pubescentes eligebantur, qui ferrent ὄσχας, id est ramos ac palmites cum suis racemis, in templum Mineruae Sciriados. Fuit et Athenis locus Oschophorion nuncupatus, a Phalero non

procul, ubi Mineruae templum fuit. Hesychius et Nicandri interpretes in Alexipharmacis. ab his Oschophorica carmina dicta, quorum in primo de Historia poetarum aegimus.

Pyanepsia celebritas apud Athenienses, a pyanis fabis nuncupata, dicata Apollini: haec uero Panopsia a caeteris graecis dicebantur, et in Octobri mense agebantur: quod ideo Pyanepsion uocabatur, ut planius ostendi in libro de Annis et mensibus ac caeteris. in Pyanepsiorum celebritate, ut Suidas ait, iresione fuit ramus oleae implexus lanis, obuios undique fructus habens, qui olim ponebatur ante ianuam in honorem Apollinis. hunc ferebat puer, et affigebat foribus Apollinis. Varie autem institutum ferunt. sed eorum praecipua est sententia, qui in Theseum referunt. Multi decipiuntur in hac historia recensenda, qui parum accurate eam ex Plutarcho, Suida, et aliis animaduertunt.

ἐξητήρια festa dicebantur, cum primitiae deis offerebantur, ut Grammatici tradunt.

Metagetnia festiuitas in honorem Apollinis Metagetnii celebrabatur, secundo Graecorum mense, ut alibi pluribus docui. Fuerunt et sacra Carnia, Carnio Apollini dicata, ut in Apollinis cognominibus planius est patefactum.

Boedromia celebritas apud Athenienses fuit: haec excursioni cuidam similis erat, et mensi Boedromioni nomen dedit, qui in sextilem, id est Augustum nostrum coincidit, ut ostensum est in libro de Annis et mensibus caeterisque: quo loco historiam sumus executi, quare instituta, et unde dicta.

Munychia sacra Dianae fuere, quae in mense Munychione agebantur, qui nostro Martio conuenit, ut ex Graecis scriptoribus palam est.

Thargelia festus dies apud Athenienses fuit, Apollini et Dianae sacer, a quo mensis Aprilis denominatus, ut in Annis et mensibus caeterisque copiosius proditum est. in hoc uero mense duos homines immolabant, unum pro maribus, alterum pro foeminis. hos Pharmacos, id est medicos uocabant, et saginatos in custodia publica asseruabant. est uero Thargelos olla quaedam, in qua antiqui fructuum primitias coquebant. Miror uiros quosdam doctos Thargeliona februarium potiusque quam Aprilem putasse: ut minus his succensendum sit, qui Maium tradidere.

Scira, σκίρα celebritas fuit peculiaris Atheniensium, in qua umbracula et scenae fiebant, quae eo nomine dicerentur, fere ut [p.690] similis esset Scenophegiae

Hebraeorum. Certe a scenis ultimus Atheniensium mensis, id est Maius, Scirophorion nuncupatus fuit, ut copiose monstrauius in Annis et mensibus. Porro hi falli uidentur, qui in Martium referunt.

Plynteria festa erant Cereris, qui dies inter nefastos repositi fuerunt. Scribit Pollux libro octauo, in Plynteriis a Solone permissum tria iurare numina, Icesion, Catharsion et Hecasterion, quae sunt Iouis cognomina: hoc est, supplicem, expiatorem, et depulsorem. Xenophon libro primo Hellenicon tradit, in Plynteriis Mineruae templum etiam claudi solere, et aliquid omnino facere piaculum fuisse, in summa etiam necessitate.

Οἰνιστήρια, Oenisteria, quasi dicas latine Vinalia, celebritas fuit, quam Athenis pubescentes Ephebi peragebant, antequam lanuginem comamue attonderent. Herculi uero uini certam mensuram inferebant, et libabant, hisque qui conuenerant propinabant. meminere Pollux et Hesychius.

Θεοίονια, Theoenia apud Athenienses Bacchi sacrificia dicebantur, et deus ipse θεοίονιος, ut notat Hesychius: nos Thyonaeum et Thyonianum uocamus, uario licet etymo, ut dictum est alibi.

Trieterica festa Bacchi notissima, quae latine Triennialia dici possunt, Latinis et Graecis aequae usurpata.

Aletides sacrificia quaedam Atheniensium, pro Icaro et Erigone, quae oscillis agebantur: de quibus iam aegimus. Cum enim, ut inquit Hyginus, in finibus Atheniensium multae uirgines sine causa suspendio sibi mortem consciscerent, propter Erigonem, habito ab Apolline oraculo sacrificium solenne instituerunt, quod publice priuatimque faciebant, et id Aletides appellabant, quod Erigone cum cane ignota et solitaria patrem Icarum mendica persecuta sit, quas Graeci ἀλητίδας nominant: et ἀλητής mendicus, uagus, et erro dicitur.

Εἰσιτήρια dies celebris et festus Athenis fuit, in quo omnes qui in magistratu erant, procedebant, unde et nomen fuit. Hanc uero anni primam diem Athenienses existimabant. meminuit Demosthenes in oratione *παρὰ πρεσβείας*.

Encaenia, orum, festum dedicationis, puta templi, quo modo nostri accipiunt: et Hieronymus et Augustinus, et caeteri, Euangelium exponunt. unde ἐγκαίνιζω, innouo.

Χύτροι, Chytri festum fuit apud Athenienses percelebre, in quo omne seminum genus in olla coquere solebant, Dionysio et Mercurio operantes, ut Theopompus scribit. principium huius sacri a Deucalione usque per manus traditum fuit. Ferunt enim illum, et qui cum eo fuerant, semina ita coxisse in olla, unde festum exortum et appellatum est. nam [p.691] chytra ollam significat. nec ex coctis quicquam gustabant, sed Dionysio et Mercurio Chthoniis offerebant pro mortuis. Sunt qui hoc eodem peracta die affirmant, quo et Choes agebantur, idque XIII. decembris. Lege Suidam. Chytra etiam basii genus, ut in Annotationibus scripsi. Chytrinda uero coniuualis ludus fuit, ut tradit Hesychius, qui puerorum lusum esse ait. Ex his quispiam sedet in medio, quem circum circa pueri concursantes, illum eo usque uersant, donec ille aliquem apprehendat ex eis, qui deinde sedere cogatur. Meminit Pollux, et Suidas.

Lampadum dies, qui et τὰ εἰς λαμπάδι, hoc est festum quod ad lampada fiebat. De hoc uero ita legimus, quod lampadum celebritas triplex fuerit apud Athenienses, ἀθηναία, ἠφαιστιαία, et προμήθεια: hoc est Mineruae, Vulcani, et Promethei. citat Istrum Suidas, qui perscripserit, Athenienses cum sacra facerent, Vulcano lampada excogitasse, et ob eius rei memoriam perpetuos illi deo ludos consecrasset, in quibus semper esset lampadum usus: ut quoque gratias referrent prudentissimae artium inuentrici Mineruae, et item Prometheo, primo suprema literarum memoria artium uariarum inter homines propagatori. sanxeruntque, ut pariter in illorum sacris eadem lampade posteri uterentur: sed hac de re plura Erasmus in Prouerbiis.

Monophagorum celebritas fuit apud Aeginenses, quam copiose describit in Questionibus graecis Plutarchus. ait enim, cum in bellum Troianum profecti essent multi Aeginetae, pauci tamen diuersis de causis inde rediere. quare, inquit, clam quisque domi suae comiter excipientes, ipsimet in conuiuibus ministrabant, nec alienum quenquam admittebant. hoc igitur imitantes, Neptuno rem diuinam facere solebant, et thyasos exercebant, XVI dies silentio inter se conuiuia celebrantes, solemne festum dirimebant. Et ex eo μονοφάγοι appellabantur, hoc est solitarie uescentes. Monophagi etiam apud Athenaeum dicti, qui seorsum ab aliis esitent: quo more

ueteres, diuerso a Romanis, qui una cum amicis palam discumbebant. unde coena dicta, διὰ τὴν κοινωσίαν. hinc Iuuenalis Satyrice carpit,

Quis, inquit, fercula septem Secreto coenauit auus?

Ephestria Thebis festa fuerunt, ob Tiresiam constituta, in quibus ipsius simulachrum uirilibus uestimentis exuebatur, et muliebribus induebatur: moxque illis ademptis, iterum uirilia imponebant, alludentes ad ipsius Tiresiae fabulam, de qua poetae et Graeci, et Latini adque multa. dicta uero sunt ἐφέστρια ἀπὸ τοῦ ἐφέστριδος, id est a superiore ueste, qua induebatur.

Ascolia festa fuisse legimus apud Atticos, quibus inter utres saltantes bacchabantur, unde et ab utribus nomina sumpsere. Meminit poeta Vergilius in Georgicis, cum ait:

Vinctos saliere per utres.

Quam rem hic parcius attigi, quoniam [p.692] in quarto de Poetarum historia Dialogo fusius exposui.

Fuerunt et quae ὠμοφαγία dicebantur, de quibus post graecos Arnobius libro V. aduersus Gentes: Bacchanalia etiam, inquit, praetermitteremus inania, quibus nomen Omophagiis graecum est, in quibus furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate circumplicatis uos anguibus, atque ut uos plenos dei numine ac maiestate doceatis, caprorum reclamantium uiscera cruentatis oribus dissipatis. haec ille. Omophagia autem dicta, quasi dicamus crudiuora.

Hiacynthia in Laconia celebrabantur, in Apollinis honorem, ob Hiacynthum puerum ab eo amatum, cuius fabulam Ouidius in Metamorphoseis copiose exequitur: ut nunc grammaticos mittam inter caetera, et hoc Ouidius:

Annua praelata redeunt Hiacynthia pompa.

τρικτύα, quae τρίττυα interdum legimus (nisi nos scriptura fallat, uel diuersa significant, nam et τρίκτειρα etiam offendimus) sacrificia dicebantur dei Enyalii, id est Martis, quae tribus animalibus cum testiculis, id est non castratis fiebant, ut obseruat Hesychius: uel ut alii tradunt, his tribus, sue, ariete, tauro, id est, κάπρω, κριῶ, ταύρω. fere Romanis Solitaurilibus similia, ut iam dictum est.

δωδεκάδες, hoc est duodenaria sacrificia, a graecis nuncupata, quae ex duodecim animalibus fiebant. Fuit et festum apud Athenienses, quod δωδεκάτην uocabant: quod

et χάας, ut Hesychius notat, appellabant. meminimus et nos in Fastis. Dicebatur et δωδεκαίς ut quidam putant, a duodecim mensibus.

Theophania celebritas fuit, quae Delphis agebatur, cuius Herodotus in primo meminit. De nostris uero Theophaniis hic nihil agendum, quae et Epiphania dicuntur.

Diasia etiam Milichii Iouis festa fuere, Athenis celebrata, ut Suidas et Lucianus in Charidemo docent. meminit et Aristophanes. dicta ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαίς τὰς ἄσας. Scribit Hesychius, Diasia celebritatem fuisse Athenis, quae cum quadam tristitia ageretur. De Eleutheriis sacris in Ioue Eleutherio copiose dixi, item de Diipoliis sacris ibidem.

ἀποβώμια sacra fuerunt apud Graecos, quae in altari peragi non solebant, sed in plano solo, uel pauimento.

ὑπεκαύστρια, Hypocaustria, ut scribit Plutarchus in Quaestionibus, apud solos Mineruae sacrificantes uocabant, quod ibi multa sacra et mysteria fierent ad uertenda mala.

Diamastigosis solennitas facit maxima apud Lacedaemonios, cuius cum alii meminere, tum Tertullius in Apolegetico. et in libro ad Martyres: Nam, inquit, hodie apud Lacedaemonios solennitas maxima est Diamastigosis, id est flagellatio, in quo sacro ante aram nobiles quoque adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus et propinquis, et uti perseuerent adhortantibus. qua de re et ego alibi, et Philostratus in uita Tyanei Apollonii et Nazianzenus Gregorius et Lucianus in Anacharsi. [p.693]

Panathenaea Athenarum, et Mineruae in primis festa, quae singulis annis celebrabantur: quae et Magna sacra appellabantur. primus Erechtonius, Vulcani et Mineruae filius ea instituit. Postea Theseus cum in unum congregasset tribus, unamque urbem fecisset: in hac celebritate neque senes, neque ignobiles, neque uiri certabant, sed pueri tantum: uictori ex olea corona praemium dabatur. Haec partim ex Aristophanis comentariis, partim ex Suida, aliisque.

Panhellenia sacra totius Graeciae, Panionia totius Ioniae, uti etiam Panboeotia, de quibus Strabo, Suidas, Arpocraton, et alii plerique.

Sed infiniti pene sit laboris, omnia sacrorum genera recensere, quae ante ueram Christi lucem, tenebris illusa antiquitas peragere

solebat. Quare ad publica alia quaedam me accingam, ut hac te rerum uaritate nonnihil oblectem, si minus lepore ac facundia ex ingenii et uirium imbecillitate queam.

#### SVPPPLICATIONES. LECTISTERNIA.

Fuerunt ad haec quae sacrificiis coniungerentur, et quae inter ea commemorari non ab re fuerit, supplicationes et lectisternia, quae ad templa et puluinaria deorum, uel ob laetitiam, uel ad uertendam deorum iram peragerentur: in quibus plerunque senatores ac patricii cum coniugibus et liberis, ad delubra et aras procedebant, nonnunquam omnes tribus et ordines etiam Pontifice Maximo praeunte: sed et aliis persaepe modis. In his enim et pueri ingenui, et libertini, ac item uirgines omnes coronati, et lauream praeferentes, cum pompa thensas et fercula deum deferentes, tum et sacro carmine supplicare, et deum pacem exposcere solebant. Lectisternia uero et puluinaria iuxta deorum aras statuebant, cum aliis ornamentis: quin et frondes uirentes et odoriferae, ac flores omnis generis, et uerbenae ante deum aedes et in ipsis templis sternebantur. has supplicationes et huiusmodi caetera a Populo Romano frequenter celebratas in historiis legimus, nunc tot dierum numero, nunc demum ad L. usque diem comperio. Illud autem obseruatum ab antiquis uidemus, ut quoties supplicationes aut lectisternia indicerentur, a iurgiis et litibus abstinerent, et uinctis uincula demerent. Scribit etiam Festus, quod aediles per supplicationes muratam addebant ad puluinaria. Fuit autem murata, potio quae in sacris adhiberi solita fuit. quin et in XII tabulis cauebatur, ne mortuo traderetur: quod et Varro primo Antiquitatum libro scripsit. Supplicationes Vergilius eo loco in quarto inuuit:

Simul diuum templis indicit honorem.

quo loco ait Seruius, Iussit fieri supplicationes. et mox: Feriae, inquit, legitimae sunt aut indictae. [p.694] Indici autem dicuntur, quia paupertas maiorum ex collatione sacrificabant: aut certe de bonis damnatorum, unde et supplicia dicuntur. idem et Isidorus in sexto, et meminit Festus: Supplicationes, quae sunt de bonis passorum supplicia. Salustius: In suppliciis deorum magnifici. hinc et Sacrum dictum, uenerabile, et execrabile: quia sacrae res de bonis execrandorum fiebant. Isidorus libro quinto: Supplicium, inquit, proprie dicitur, non qui

quoquo modo punitur, sed ita damnatur, ut bona eius consecrentur, et in publicum redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta. et supplicium dicitur, de cuius damnatione delibatur aliquid deo: unde et supplicare. Idem et in fine sexti libri Etymologiarum: Nec hic te lateat uolo, quoties apud antiquos aliquid consecrabatur de bonis alicuius condemnati, qua religionis cerimonia id fieri soleret. Coss. id, aut Imperatorum iussu fiebat: foculum accendi uidebatur, ubi praeco cum tibicine uerbis priscis et solemnibus, praeunte Pontifice Maximo carmen maledicum uelato capite sacrum perficiebat. Idque iussu populi fieri conuocata concione mos fuit, alias irritam fieri consecrationem censebatur. Deuotiones uero et euocationes paulo post etiam exequemur. Nunc quoniam de Lectisterniis meminimus, quorum crebra est mentio, et in his plerosque falli uidemus, hic ex Liuio pauca ascribenda. Is libro V. ab Vrbe Condita ita prodit: Grauis, inquit, pestilensque omnibus animalibus aestas excepit urbem, cum insanabili pernicie: quando nec causa, nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex S.C. aditi sunt. Duumuii sacris faciundis, Lectisternia tunc primum in urbe Romana facta per dies VIII. Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, Tribus quae amplissimae tum apparari poterant, stratis lectis placauere: priuatim quoque id sacrum celebratum est tota urbe, patentibus ianuis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim aduenas in hospitium ductos ferunt, et cum inimicis quoque benigne et comiter sermones habitos, iurgiis et litibus temperatum, uinctis quoque dempta in eos dies uincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem tulissent, uinciri. Quidam putant, epulum Ioui in Capitolio lectisternium dici: quod parum probatur. Lectisternia, inquit Seruius in XII. Aeneidos dicuntur, ubi in templo homines sedere consueuerunt. Notamus lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum: stratis tribus lectis conuiuium tribus deis apponebatur, Ioui, Iunoni, et Mineruae. Ioui simulachrum in lectulo reponebatur, Iuno uero et Minerua in sellis, ea ratione quam alibi retuli. sic appositis epulis, non dei, sed VII ipsi epulones celebrabant. T. Liuus libro VII. ab Vrbe Condita, Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exposcendae causa tertio

post conditam urbem lectisternium fuit. [p.695]

Expositis supplicationibus, et lectisterniis, iam deorum Euocationes, urbiumque Deuotiones, et sese pro patria deuotionum ritus, quibusque haec caerimoniis fierent, apud Romanos in primis, ostendam. Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum esset. Problema etiam legimus Plutarchi, cuius hoc est lemma: Cur deum illum, cuius in tutela urbem esse dicunt, siue masculus is est, seu foemina, et quaerere et nominare nefas esset: hoc enim ita esse, religione confirmant: Valerium Soranum male periisse dicentes, quod numinis nomen efferre ausus esset. An quod Latinorum quidam monumentis tradiderunt, euocationes quasdam ac deorum ueneficia esse putauerunt: quibus quoniam ipsi hostium deos euocare, et ad se traducere consueuissent, ne idem ipsi paterentur, magnopere uerebantur. quemadmodum Tyrii statuis uincula iniiciunt, et reliqua. Alibi quoque recitauimus, a Lacedaemoniis Martem catenatum, ne a se uocaretur: et *νίκην ἄπτερον*, id est sine alis Victoriam, ne ab Atheniensibus aufugeret.

Sed iam nos harum utranque, id est euocationis et deuotionis, recitemus Macrobiani uerbis ex libro III. Saturnaliorum: Constat, inquit, omnes urbes in alicuius dei tutela esse: moremque Romanorum arcanum et multis ignotum fuisse, ut cum obsiderent urbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent Tutelares deos, quod aut aliter urbem capi posse non crederent: aut etiam si posset, nefas existimarent deos habere captiuos. nam propterea ipsi Romani et deum, in cuius tutela urbs Roma esset, et ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse uoluerunt. Sed Dei quidem nomen nonnullis antiquorum licet inter se dissidentium libris insitum, et ideo uetustas res persequentibus, quicquid de hoc putatur, innotuit. Alii Iouem crediderunt, alii Lunam. Sunt qui Angeronam, quae digito ad os admoto silentium denunciat. Alii autem, quorum mihi fides uidetur firmior, Opem Consuam esse dixerunt. Ipsius uero urbis nomen etiam doctissimis ignoratum est, cauentibus Romanis, ne quod saepe aduersus urbes hostium fecisse se nouerant, idem ipsi quoque hostili euocatione paterentur, si tutelae suae nomen diuulgaretur. Mox idem scriptor

subdit, ex libro quinto Rerum reconditarum Sammonici Sereni, euocationis et deuotionis formulam, quam ex Furii uetustissimo libro ille excerpserit. Est autem hoc carmen, quo Dei euocabantur: Si deus, si dea est, cuius populus ciuitasque Carthaginensis est in tutela, teque Maxime, ille qui urbis huius, populique tutelam recepisti, precor, uenerorque, ueniamque a uobis peto, ut uos populum ciuitatemque Carthaginensem deseratis, loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, [p.696] absque his abeatis, eique populo ciuitatique metum, formidinem, obliuionem iniiciatis, proditique Romam ad meosque ueniatis, nostraque uobis loca, templa, sacra, urbs, acceptior probatiorque sit. mihi quoque Populoque Romano, militibusque meis praepositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, uoueo uobis templa ludosque facturum. Subiungit idem in eadem uerba hostias fieri oportere, auctoritatemque uideri extorum, ut ea promitterent futura. At uero Liuius in V. ab Vrbe Condita, Dictator Camillus, ait, ita a Veiiis deos euocauit: Tuo, inquit, ductu Apollo Pythice, tuoque numine instinctus, pergo ad delendam urbem Veios, tibi hinc decimam partem praedae uoueo. te simul Iuno regina, quae nunc Veios colis, precor, ut nos uictores in nostram tuamque mox futuram urbem sequere, ubi et dignum amplitudine tua templum accipies. haec Liuius. Deuotio uero urbium et exercitus ita fieri solebat. Post deorum euocationem, ea uero a Dictatore, uel Consule uel Praetore, uel Imperatore fiebat, his prope uerbis. Dis pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem, exercitumque, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis, quique aduersus legiones, exercitumque nostrum arma telaque ferent, uti uos eos exercitus, eos hostes, eosque homines, urbes, agrosque eorum, et qui in his locis regionibusque, agris urbisque habitant, abducatis, lumine supero priuetis, exercitumque hostium, urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti uos eas urbes agrosque, capita aetatesque eorum deuota consecrataque habeatis, illis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes deuoti, eosque ego uicarios pro mea fide magistratuque meo, et pro populo Romano, exercitibus, legionibusque nostris do, deuoueo, ut me meamque fidem, imperiumque, legiones exercitumque nostrum,

qui in his rebus gerundis sunt, bene saluos sinatis esse. si haec ita faxitis, ut ego sciam, sentiam, intelligam, tunc quisquis uotum hoc faxit, ubi faxit, recte factum esto, ouibus atris tribus. Cum Tellurem dicebat, manibus terram tangebatur: cum Iouem dicebat, manus ad coelum tollebat: cum uotum recipere dicebat, manibus pectus tangebatur. haec ex Macrobio. In historiis autem legimus, huiusmodi deuotiones factas non modo in Italia, sed et extra: quinimmo et poetam Vergilium sub poetico quodam inuolucro has innuisse, docti uiri obseruant, ut cum cecinit,

Excessere omnes adytis, arisque relictis,  
Dei quibus imperium hoc steterat.  
Et item cum ait,  
Ferus omnia Iuppiter Argos  
Transtulit.

Deuotiones etiam singularium personarum factas. ex historiis obseruauimus, ut cum se duo Decii, pater et filius pro populi [p.697] Romani uictoria deuouerunt: et Q. Curtius. Sed et apud Graecos Codrus pro Atheniensibus, et Menoeceus pro Thebis se deuouerunt, itemque pro Celaenaeis Anchurus. Vnam ego uel alteram ex latinis afferam, in primisque ex Liuius, qui libro octauo ab Vrbe Condita ita scribit: Cum collegam litasse Decius intellexisset, sibique omnia laeta, nisi quod caput iecinoris a familiari parte caesum aruspex ostendisset, alioqui acceptam deis hostiam esse: Atqui, inquit, bene habet, si a collega litatum est. tum instructo exercitu, M. Valerium Pontificem magna uoce inelamauit: Deorum, inquit, ope Valeri opus est: age dum Pontifex publicus Populi Romani praei uerba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam praetextam sumere iussit, ut uelato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem, sic dicens: Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouensiles, Dei indigetes, Diui quorum est potestas nostrorum hostiumque, Deique Manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium uim uictoriamque prosperetis, hostesque Populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis: sicut uerbis nuncupauit, ita pro Republica Quiritium, exercitu,

legionibus, auxiliis, Populi Romani Quiritium legiones, auxiliaque hostium, mecum Deisque Manibus Tellurique deuoueo. hactenus deuotio.

Subdit Liuius: Mox incinctum cinctu Gabino, armatum in equum insiluisse, pugnas acerrime, tandem confossum, inter confertissimum hostium stragem, suis uictoriam reliquisse. Porro nec illud te ignorare oportet, quod historiae suae adiciendum Liuius putauit. Licere Consuli Dictatorique et Praetori cum legiones hostium deuoueat, non utique se, sed quem uelit ex legione Romana scriptum ciuem deuouere: si is homo, qui deuotus est, moritur, probe factum uideri: ni moritur, tum signum VII pedes altum, aut maius in terram defodi, et piaculum hostia caedi. ubi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum descendere fas non est. sin autem sese deuouere nolet, sicuti Decius deuouit, ni moritur, neque suum neque publicum diuinum pure faciet. Qui sese deuouerit, Vulcano arma, siue cui alii diuo uouere uolet, siue hostia, siue quo alio uolet, ius esto. telo, super quod stans Consul precatus est, hostem potiri fas non est. si potiat, Marti uouet, auribus piaculum fieri. haec Liuius. Sunt qui haec extrema Liuii uerba emendent, Solitaurilibus piaculum fieri. Extant et aliorum super hoc opiniones, quae nec mihi dignae uisae sunt ut referantur. De solitaurilibus uero paulo supra dictum est. Fuerunt nec multum absimiles deuotionibus Execrationes, quae uerbis quibusdam diris, ac imprecationibus, quapiamque caerimonia fieri solebant, diuersae quidem diuersis locis. hanc unam ego in praesentia ex Sallustii Catilinario, pro exemplo adducam. Fuere, inquit, ea tempestate qui Catilinam oratione habita dicerent, [p.698] cum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem uino permixtum in pateris circumtulisse. inde cum post execrationem omnes degustauissent, (sicuti in solennibus sacris fieri consueuit) aperuisse consilium suum, atque eo dictam rem fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii. Haec Sallustius. M. Cicero pro Sextio: Exierunt malis omnibus atque execrationibus duo Vulturii paludati. Extat execratio, quae Dirae inscribitur, in Vergilianis poematis, non inelegans, dignaque ut cum eis ascribatur. Scribit T. Liuius de bello Punico libro VI. Acarnanes a XXV, ad XL annos coniurasse, nisi uictores, se non

redituros: qui uictus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare, reciperet: diram execrationem in populares, obtestationemque quam sanctissimam potuerunt aduersus hospites composuerunt. Similis execratio et obtestatio in Paulum a Iudaeis facta legitur, in Actis Apostolicis. Inuenimus et execrabile carmen dictum, apud Liuium in primo de bello Macedonico: Praeuntibus, inquit, execrabile carmen sacerdotibus. Hinc et publicae dicebantur execrationes, ut Athenis fuisse ait Cicero libro III. de Officiis, si quis uiam erranti non monstrasset. De Diris porro, quae dicebantur, in Furiis egimus.

Sed et par uidetur, ut formulam quoque ceremoniarum Foecialium et Patris patrati hoc loco ascribam, idque breuius quam potero, magisque distincte. nam de utrisque suo loco actum est. Forma igitur feriendi per Foecialem foederis huiuscemodi fuit, ut ex Liuiio accepimus. Foecialis regem Tullium ita rogauit: Iubesne me Rex cum Patre patrato populi Albani foedus ferire? iubente rege: Sagmina, inquit, te Rex posco. Rex ait, Puram tollito. Foecialis ex arce graminis herbam puram attulit, postea Regem interrogauit: Rex, facisne tu me regum nuncium Populi Romani Quiritiumue. Rex respondit, Quod sine fraude mea Populique Romani Quiritiumue fiat, facio. Fit ergo tunc foedus, multisque id uerbis peragit. legibus inde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi Pater patrato Populi Albani, audi popule Albane, audi, ut illa palam prima postremaue ex illis tabulis caeraue recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hodie rectissime intellecta sunt, hic illis legibus Populus Romanus prior non deficiet: si prior defecerit publico consilio, dolo malo, in illa die Iupiter ita Populum Romanum ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Vbi id dixit, porcum saxo silice percussit. Eodem modo pars altera suum sacerdotem, suumque dictatorem praegit. Et haec quidem formula Romanorum et Latinorum. Sed alia fuit apud Graecos, quae uel ex unius Homeri III. Iliados rhapsodia luculentissime describitur. nam cum Menelaus et Paris singulari certamine rem confecturi essent, iuramentum primum describit inter Graecos et Troianos sancitum. Mox in castra [p.699] Priamus et Antenor descenderunt, ubi Agamemnon et Vlysses etiam ipsi astitere. Praecones uero cratere uinum miscuere, et manibus aquam dederunt.

Tum rex Agamemnon ense agnorum pilos incidens, foedus sanxit, et praecones Graeci et Troiani utrique suis distribuere. inde passis manibus ad coelum locutus est Agamemnon: Iupiter pater maxime optime, qui in Ida coleris, tuque Sol qui cuncta uides, cunctaque audis, uos Fluuii ac Tellus, et qui subter punitis homines qui periuria iurant, uos omnes testes sunt, seruanto iuramenta, si quidem Menelaum interfecerit Alexander, Helena ipse et eius opibus potiatur: si uero Menelaus Alexandrum, ut Troiani cum Helena omnia restituant, et Graecos debito afficiant honore, eorumque posteros. si uero Priamus et filii abnuerint, eo casu iusta arma mouebo, nec abscedam nisi confecto bello. quibus dictis, agnos ense iugulauit, et palpitantes humi deposuit, et uinum ex cratere poculis exhauserunt, reliquum et sacrum perfecerunt: et reliqua. At uero cum Foecialis bellum indicit, hac caerimonia utebatur. Foecialis hastam ferratam praeustam, aut sagineam ad fines eorum quibus bellum indicebat, deferebat, nec minus puberibus tribus praesentibus adiciebat: Quod populi priscorum Latinorum, hominesue prisci Latini aduersus Populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse senatusque populi romani Quititium censuit consensit consciuit ut bellum cum priscis Latinis fieret, ob eam rem ego Populusque Romanus populis priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque. ubi dixerat, hastam in fines eorum mittebat, ex quo bellum iustum esse intelligebatur. Cincius in libro tertio de Re militari Foecialem Populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorem iacentem, hisce uerbis uti scripsit: Quod populus Hermundulus: et caetera, ut supra. uide Gellium libro XVI. cap. IIII.

Patris autem Patrati opera et auctoritas exigebatur ad patrandum, id est sancendum iuramentum, ubi Foeciales de foederibus conuenerant. Creauit quidem M. Valerius primus Foecialis Sp. Fusium primum Patrem patratum eo bello, quod Tullius Hostilius cum priscis Latinis gessit, uerbena caput capillosque cingens: alias praeterea partes scilicet repetendi Patri patrato dedit Ancus Martius, eum morem ab antiquissima Equicolorum gente repetens. eius rei formula antiquissima est huiusmodi: Legatus, idemque Pater patratus, ubi ad fines

eorum uenit, ante res repetunt, capite uelato filo: lanae id uelamen est. Audi Iupiter, inquit, audite fines cuiuscunque sint gentis, numina audiant fas, ego sum publicus nuncius Populi Romani, pie iusteque legatus uenio, uerbis meis fides sit. Peragit deinde postulata, inde Iouem testem facit: Si ego iniuste impieque illos homines, illasque res dedier Populo Romano mihi que exposco, tum patria compote me nunquam sinas esse. haec, cum fines supra scandit: haec, quicunque [p.700] ei primus uir obuius fuerit: haec portam ingrediens, haec forum ingressus, paucis uerbis carminis concipiendique iusiurandi mutatis. Si non reddebantur quae exposcebat, diebus tribus et XXX (tot enim solennes erant) peractis, bellum ita indicebat: Audi Iupiter, et tu Iuno, ac Quirine, Deique omnes coelestes, uos terrestres, uosque inferni audite: ego uos testor, populumque illum (quicunque est, nominabat) iniustum esse, neque ius persoluere. Sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Cum his nunciis Romam ad consulendum redibat. Confestim Rex, Dictator, Consul siue quis alius senatum habere posset, ex his ferme Patres uerbis consulebat: Quarum rerum, litium, causarum, condixit Pater patratus Populi Romani Quiritium, Patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec soluerunt, quas res fieri, dari, solui oportuit, dic (ei dicebat, quem primum sententiam rogabat) quid censes? tum ille, Puro pioque duello quaerendas censeo. eorum qui aderant, in eandem sententiam ibant. Bellum erat consensu fieri solitum, ac Foecialis iniectu hastae, ut dictum est, bellum indicebat. Hanc repetendi caerimoniam clarigationem dictam, Seruius ostendit et libro nono et X. Aeneidos. Nam cum Vergilius dixisset,

Et iaculum intorquens dimitit in auras.

Ibi ait Seruius, Hoc de Romanorum solennitate tractum est. cum enim uellent bellum indicere, Pater patratus, hoc est primus Foecialium, proficiscebatur ad hostium fines, et praefatus quaedam solennia, clara uoce dicebat, se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios laeserant, aut quia nec abrepta animalia, ne noxios reddiderant. et haec Clarigatio dicebatur, a claritate uocis. post clarigationem hasta in eorum fines emissa,

indicebatur pugnae principium. quod locupletius repetit in X. ibi,

Tum certare odiis, et res rapuisse licebit. ubi inter caetera et hoc subdit idem Seruius: Clarigatio autem dicta est, aut a clara uoce, qua utebatur Pater patratus: aut ἀπὸ τῆς κληροῦ, hoc est a sorte. nam per bellicam sortem inuadebant agros hostium. unde et κληρόνομοι dicuntur, qui iure sortiuntur bona defuncti, id est legitimi haeredes. Hinc et Arnobius libro secundo contra Gentes: Cum paratis bella, signum monstratis ex arce, aut foecialia iura tractatis per clarigationem repetitas res raptas. Sed iam de his hactenus.

Nec postremo ab instituto nostro alienum uidetur, condendae urbis ritum caerimoniamue ascribere, quam et M. Portius Cato in Originum libris est executus. Conditores enim ciuitatum tantum in dexteram uaccam intrinsecus iungebant, et cincti ritu Gabino, seu Sabino, hoc est, togae parte caput uelati, parte succincti, tenebant stiuam incuruam, ut glebae omnes intrinsecus caderent. et ita sulco ducto, loca murorum [p.701] designabant, et aratrum suspendentes circa loca portarum: unde territorium dictum est, quasi terribouium, hoc est tritum bobus et aratro. Idem repetit Seruius libro V. Aeneidos. Varro quoque in his qui sunt de lingua Latina, Oppida, inquit, condebant in Latio Hetrusco ritu: id est, iunctis bobus tauro et uacca, interiore aratro circumagebant sulcum. hoc faciebant religionis causa, die auspicato, etc.

Fuit et Farreatio, seu confarreatio, genus sacrificii, quod inter uirum et uxorem fiebat, in signum coniunctionis inter eos: dictum a farreo libi genere, quod ex farre fieri solebat, ut ait Festus. uel a uerbo, ut quidam putant, Confarreo, quod non est in usu. unde quoque diffarreatio, in signum dissolutionis connubii. Plinius libro decimo octauo: Quin, inquit, et in sacris nihil religiosius confarreationis uinculo erat, nouaeque nuptae farreum praeferebant. Cornelius Tacitus libro quarto: Nam patricos confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quibus unus legeretur uetusto more, neque adesse, ut olim eam copiam, omissa confarreandi assuetudine, aut inter paucos retenta.

Operaeprecium me facturum putauit, si quaedam altius de sacrificiis repetam, quae per te curiosos lectores iugi mea lectione nonnihil detineant. Et perinde a Proclo philosopho exordiar, philosopho non minus Academico

quam Peripatetico. is in libro de Sacrificiis, ita prope modum scribit: Sacerdotes per mutuum rerum cognationem et sympathiam in unum conducebant, et per repugnantiam repellebant, purificantes quae oportebat, sulphure atque bitumine, aquam aspergentes marinam. Sulphur enim purificat propter adoris acumen, aqua uero marina propter igneam portionem. atque iidem animalia deis in deorum cultu congrua adhibebant, caeteraque similiter. quamobrem aliis atque similibus recipientes, primum potentias daemonum cognouerunt, uidelicet eas esse proximas rebus actionibusque naturalibus, atque per haec naturalia quibus propinquant, in praesentiam conuocarunt: deinde a daemonibus ad ipsas deorum uires actionesque processerunt, partim quidem a docentibus daemonibus addiscentes, partim uero industria propria interpretantes quae conuenirent symbola, in propriam iam deorum intelligentiam ascenderunt. ac denique posthabitis naturalibus rebus, actionibusque, ac magna ex parte daemonibus, in deorum se consortium receperunt. Et haec ferme Proclus: quo libro multa ea de re comminiscitur, quae ego, ut superstitiosa nimis praetereo. Sed Porphyrius Tyrius philosophus, ipse primos scribit qui deis sacrificare coeperunt, non animalia, sed herbas primum floresque, deinde et arbores sacrificasse, aromataque suffumigasse. Quin et Lycurgus ex herbis, et iis rebus quae parabiles essent, sacrificia instituisse dicitur, ne quando ex difficultate [p.702] sacra omitterentur, uel differre necesse esset. sed et Cecropem legimus Iouem ὕπατον nuncupasse, eique nihil omnino animatum sacrificasse, sed pemmata, seu bellaria indigena. ea autem Athenienses πελάγους uocitabant, ut Pausanias scribit in Arcadicis. πέλαγος uero, ut Didymus ait, placenta fuit ex flore farinae confecta, sacrificiis accommodata: quae sic appellebantur ἀπὸ τοῦ πεπλατύσθαι, uel διὰ τὸ φανὸν εἶναι. Euripides in Oreste, ἀφρώδη πέλαγον dixit, spumam circa Orestis furentis os concretam. Commentatores in primo Apollonii Argonauticon panes interpretari uidentur parum mundos, nec plane confectos. Sed et lachrymae quoque aridae et coactae, et thuris et gummi, πέλαγοι dicuntur, ut Suidas ait: et obolus, qui mercedis causa uatibus dabatur. Inuenimus etiam morem fuisse Iliacis temporibus, ut nec thure, nec costo, sed cedri et citri fumo deos adolere solerent. quosdam et rore marino, et iunipero:

alios βραθὺ quapiam herba sacrificasse legimus. Pythagoram etiam animatis rarius sacrificasse, qui eius uitam perscribere, prodiderunt. Qui uero primi animalibus uesci coeperunt, id frugum penuria fecisse, ait Porphyrius. Tribus autem de causis deis sacrificandum censuere theologi gentium, ut ueneremur, ut gratias referamus, ut ab ipsis necessaria petamus, et mala propellamus. Ad haec autem perficienda uotum animi satis esse existimabant: cui et addi posse credebant quaedam ex frugibus munuscula. Animalia uero mactare nefas ducebant: etsi id licuisse uidemus per Hebraeorum leges.

Theologi igitur qui dicebantur apud gentes, Deo nihil quod ex materia esset, offerendum statuebant, quod ipsi Deo ab omni prorsus materia secreto, subito non fieret impurum: quapropter neque ei sermo uocalis satis accomodatus esse uidetur, neque etiam ex animo sermo intimus, propterea quod animi quadam inquinatus affectione putaretur: sed puro silentio, puroque animi affectu Deum illi colendum arbitrabantur. quem Aegyptii, ut Iamblichus scribit, Icton, et primum exemplar appellabant: qua de re et in Pythagorae Symbolis super ipsius silentio plura scripsimus. Porphyrius quoque, oportere ait coniunctos similesque Deo iam effectos homines, ad Deum mentis ectasin, ac eleuationem, uelut sacram quandam uictimam dedicare, quae quidem ipsamet diuina laus est et salus: in qua Dei contemplatione, omnis affectus ex parte sacrificium uere compleri ac perfici asseruit. Filiis autem Dei, quos et deos intelligibiles uocabat, laudes iam ex ipso quoque sermone adhibendas censebat, atque unicuique ipsorum iustam primitiarum oblationem faciendam, ex iis rebus quas ipsi mortalibus largiri dicebantur, uel quae eos nutrire et conseruare putabantur. Sic agricolae primitias earum frugum quas colligebant, offerebant. Quare ex [p.703] antiquis plerique disputabant, non deberi animalia mactari, quin etiam et ab eorum esu abstinendum esse. sic peripateticus Dicaearchus, antiquos Graecos prodit nullum animal occidisse, ut qui proxime deis geniti essent, et perinde natura optimi, adeo ut eorum aetas aurea uocaretur. Sic et gymnosophistae, praeter reliquam temperantiam atque sanctimoniam quam habuisse testantur auctores, Bardesanes, Porphyrius et Philostratus, aliique animalibus abstinebant: sic et Essaei, gens sancta

existimata apud Hebraeos, ut Philon, Iosephus, Egesippus et Eusebius produunt, multis animalibus abstinebant. antiqui praeterea Aegyptiorum sacerdotes, ut Chaeremon Stoicus, Porphyrius et Hieronymus tradunt, animalibus plurimum abstinebant. quin etiam multa uelut diuina uenerabantur. Sed quid multa congero? Inique fert Porphyrius, suo tempore multos etiam philosophiae studiosos, gloriam potius inanem, quam diuinitatem colentes, ante statuas prouolui, eaque obire sacra, quae minime illos deceret. Sedenim ego non haec in manus sumpsi, ut recte necne id factum esse monstrarem, sed ut gentium potius superstitionem multiplicem ostenderem: et ut ea uolentibus uel expendere uel redarguere, ad manus paruo labore praesto forent. Et licet ante me hac eadem de re quidam scripserint, ita tamen concise ac ieiune id tractarunt, ut non multa ex iis possis excerptare. in iis etiam pleraque offendi, quae longe secus sint, quam ab eis prodantur. Nec quisquam me hoc scripsisse putet detrahendi studio. nam et ideo ipsorum nomina conticui, errata tantum castigauit. Sic mecum agat alius, sum etenim homo. Quare iam institutum exordiar.

Et antequam ad sacrificia particularia deueniam, prius quaedam in uniuersum afferam, quae ad praesentem tractationem conueniunt: in primisque illud quod Plutarchus Numae Pompilio ascribit, ut deos adoraturi sedeant, quod et uice prouerbii usurpatur. Significat uero uota certa concipere oportere, et in ea quae optima sunt persistere ac perseruare. quidam tamen alium putant habere sensum, quod eos qui sacris operantur, oporteat non obiter, ac uelut aliud agentes hoc facere, sed uacuos ac totos rei diuinae uacare, ac intentos esse. Vnde cum Pontifex sacra aggrediebatur, praecones clamabant, Hoc age: quod planius in symbolis Pythagorae dixi. Sane nec deis omnibus eadem conueniebant, nec uni omnia sacra, ut cum alii, tum Eusebius et Lactantius, et in primis Nazianzenus Gregorius aduersus Iulianum Caesarem. Nec eodem, inquit, modo, ut sacerdotibus uidetur. nam alicubi, ut apud Lindios, pium est Buphagum, id est Herculem execrari quod in dei cedere honorem creditur, si in eum multa conuicia dicantur: uel apud Tauros hospitem mactatio, uel apud Lacedaemonios puerorum super altare flagellatio: uel Phrygibus pium est, sub tibiaram cantu concidi, aut saltationibus

[p.704] effoeminari, sic ut aliis puerorum turpis amor, nonnullis etiam scortari: aut quaecumque habent mysteria, ne sigillatim cuncta enumerem. Quare nunc praestat audire Apollinis oraculum de cultu et sacrificiis deorum, quod Porphyrius in libro Responsorum, et Eusebius in quarto Praeparationis euangelicae ascripserunt, uariis de causis. hoc autem latine expressum tale est:

Haec age, qui nutu diuorum ingressus amice es,

Huius iter uitae: mactanda est hostia cunctis  
Multa deis, seu qui terram, seu qui mare uastum,

Aera seu qui habitant, latum seu qui aethera, seu qui

Alta colunt coeli, seu qui infima regna barathri.

Quae quibus obseruanda modis sint, singula dicam:

Tu memori commissa animo mea dicta teneto.

Terna quidem diuis coelestibus hostia, et ipsa

Candida mactanda est: terna et terrestribus, atque

Alta eadem. gaudent porro, et capiuntur apertis

Terrestres aris: foueas cum numina contra  
Exposcant atro imbutas inferna cruore,  
Nec placeat nisi quae terrae mandetur humata

Victima. mel uero Nymphae, atque liquentia uina,

Offerri laetantur. at ignem accendier aris,  
Quae circum uolitant terram, sibi numina quaerunt,

Imponique atrum corpus, tum thura, simulque

Iniciet falsas fruges, et dulcia liba.

Haec facito. uerum quibus est data cura profundi,

His ipso semper fer sacra in littore, totum  
Porriceque in fluctus animal. coelestibus autem

Extremas reddes partes, atque igne cremabis.  
Quod superest, propone tibi, dapibusque reserua,

Sudet adoratis crassisque uaporibus aer.

Et hoc quidem oraculum ita Porphyrius est interpretatus. Cum igitur terrestres et inferni dei sint, atras illis quadrupedes offerendas Deus iubet. modus autem differt. Nam terrestribus super aras, infernis uero in

scrobibus et foueis mactandas esse uictimas praecipit: aereis autem uolatilia dicit offerenda, corporibus holocaustis et sanguine ad aram circumfuso. Volatilia etiam deis marinis, sed uina in fluctus porricere mandat. ita omnibus deis, praeterquam terrestribus, uolatilia immolari poterant: sed marinis solummodo nigri coloris uolatilia. Quare caeteris alba offerenda sunt, coelestibus uero et aethereis bestiarum, quas albas [p.705] esse praecipit, et conseruandas extremitates, reliquas autem partes comedendas. ex his enim solummodo comedere oportebat, ex aliis uero minime: ita quadrupedes et terrestres terrestribus sacrificanda fuerant: simile etenim simili gaudet. Sus porro, terrestre animal est, et idcirco Cereri gratissimum. Atra uero, quia et terra naturaliter tenebrosa et opaca. Tres autem simul, quoniam terrestris corporis tria sunt symbola. Et super aras terrestribus, quoniam super terram uersantur. Caeteris deis idcirco uolatilia sunt offerenda, quoniam uniuersa mouentur: in motu enim semper maris aqua est. eius atrae sunt hostiae, quoniam et caeruleus color est aquarum. Alba uero aereis: lucis enim aer susceptibilis. Coelestibus autem et aethereis extremitates consecrandas iubet, quoniam laeuiores reliquo corpore sunt. Quorum sacrificiis communicare fas erat: quia cum caeteri dei arcere mala solere putarent, coelestes bona mortalibus largiri credebant. Haec fere ex Porphyrio et Eusebio. Fuit etiam Pythagoreorum uel symbolum, uel aenigma, Superis impari numero sacrificandum, pari autem inferis, ut alibi diximus. Sane et Lucianus in eo qui est de Sacrificiis, uaria esse sacrificia prodit, pro etiam personae sacrificantis qualitate: Agricola, inquit, de boue rem diuinam facit, opilio de agno, aepolus de capra. est qui thus, qui liba et placenta offert. Et si pauper sit, deis litat, dextram tantummodo exosculans. At uero cum immolant, primo uictimam sertis coronant, explorantque ante num legitima sit, et apta, ne forte sacrificent quae religio non admittat: tum ad aram deducunt, et ante dei simulachra iugulabant, uoce conueniente et tibiis, et sacris. Sedenim Valerius Maximus, Plutarchus et Seruius, aliique scribunt, apud antiquos non solum publice, sed et priuatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more, plerunque et sacrificia captatis auguriis peragebantur. Sed in sacrificiis rite celebrandis maiorem nullam caerimoniam

fuisse uidemus, quam nihil sibi conscire, bonos ac pios esse. unde Plautus in Rudente, Arcturum coeleste sidus inducit dicentem:

Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,

Iouem se placare posse omnibus hostiis:

Et operam et sumptum perduunt. atque id ideo

Fit, quia nihil ei acceptum est a periuriis.

Supplicii facilius si qui pius est a deis supplicans,

Quam qui scelestus est, inueniet ueniam sibi.

Idcirco moneo uos ego haec, qui estis boni,

Quique aetatem agitis cum pietate et cum fide, [p.706]

Retinete porro post factum ut laetemini.

haec quidem Arcturus, uel Plautus potius: quibus plane cognoscimus, bonos ac pios esse debere, qui deis immortalibus essent sacra ministraturi. Dein ut haec rite peragerentur, obseruatio penes Pontifices fuit. Qui duo in primis hostiarum genera esse statuerunt: unum, in quo deum uoluntas per exta disquirebatur: alterum, in quo sola anima deis sacrabatur. unde et aruspices, has Animales hostias uocabant. Vtrunque hoc hostiarum genus sacrorum peritissimum Vergilius suo carmine ostendit, et primo quidem illud quo uoluntas numinum per extra monstrabatur:

Mactat, inquit, lectas de more bidentes.

Et mox:

In pecudumque reclusis

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Alterum illud, in quo hostia animalis dicebatur, quoniam eius tantum anima sacrabatur, significat, cum inducit Entellum uictorem Eryci mactare taurum. nam ut explicaret animalis hostiae causas, ipso animae usus est nomine:

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis, Persoluo.

quod uerbum, ut etiam Macrobius notat, pertinebat ad nuncupata uota. Animalem hostiam idem poeta in illo significat,

Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum Argolica.

nam et animam, id est hostiae nomen posuit: et litare, quod significat sacrificio facto numen placare et impetrare, ut planius infra ostendam. Sane et Seruius libro III. Aeneidos ait: Animales hostiae hae sunt, quae tantum immolantur. Alibi sanguinem in aras tantum fundi solitum, ostendit Vergilius: ut,

Sanguinis et sacri pateras.

Et alibi corporis partem: ut,  
Extaque salsos Porriciam in fluctus.  
Alibi integras uictimas: ut,

Et solida imponit taurorum uiscera flammis.  
quod graece sacrificium holocaustoma, et  
holocaustum, et holocaustoma uocatum  
uidemus: quod uidelicet tota igni absumeretur.  
Observabant praeterea antiqui in sacrificiis, ut  
ante aduersos deos placarent, et postea  
propitios inuocarent, quod Vergilium seruasse  
Grammatici notant, ut in illo,

Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus  
albam.

Sic etiam Dido in III. Aeneidos nuptura  
primum Cererem placat, quae nuptias est  
execrata, propter filiae raptum: et Apollinem,  
qui uxoris expers fuit. placat Liberum patrem,  
qui nisi raptam habere potuit coniugem: sic  
Iunonem conciliat, cui uincla iugalia curae, et  
matrimoniorum dea et regina. Lege, et Vergilii  
uersus perpende, uidebis ipsum sacrorum  
diligentissimum ac peritissimum. ut me  
plerunque, [p.707] pudeat, pigeatque, nos in  
nostris sacris adeo conuiuere, ne caecutire  
dicam. Sed praestat aliena et ueterea recensere,  
quam nostra nostris frustra et surdis  
exprobrare.

Victimae antiquis hae frequentes fuere, ouis,  
sus, bos, capra, gallina, et anser: quas cum  
immolabant, nisi purae integraeque fuissent, et  
lectae ad rem diuinam, minus proficere  
putabant. Fuit quidem priscis opinio, ut ex  
hoedis potius et agnis hostiae fierent, quam ex  
caeteris: quia hae mites et cicures essent. nam  
gallinaei, sues, et tauri, animo magis abundare  
uidentur. Ideo etiam ouilli pecoris hostiam  
maximam, non ab amplitudine, sed quia animi  
esse placidioris uiderent, pontifices dixerunt.  
Sunt igitur qui scribant, sex tantum animalia  
genera in sacrificiis ueteres adhibuisse: quorum  
sententiam nos nec approbamus, nec  
refellimus. nam apud auctores plura  
inuenimus, sed uariis in locis et ritibus. Aiunt  
ergo illi ueteres, altilis duas afferri solitas,  
gallinam et anserem: licet Aristophanes in  
Auibus, omnibus ferme deis suas aues  
attribuat: quadrupedia quatuor, ouem, suem,  
capram, bouem. at qui angustiori forent  
patrimonio, nec qui bouem possent sacrificio  
inferre, farinacea ex massa hunc conficiebant,  
et bouis uice immolabant: unde et septimus  
bos est dictus. Sane in sacris plerunque  
simulata pro ueris accipiebantur. hinc cum de  
iis animalibus, quae inuentum difficilia essent,

sacrificium faciendum foret, ea de pane, uel de  
caera effingebantur, immo etiam de aliqua alia  
re. hinc Vergilius,

Sparserat et latices simulatos fontis Auerni.

nam in templo Isidis aqua sparsa de Nilo  
dicebatur. Idem obseruat Seruius secundo  
Aeneidos commentario unde in Priapeis  
Aristagoras uillicus,

De cera facta dat tibi poma deus.

Id quod et Graecos factitasse notauimus. nam  
Cyziceni nigram bouem quotannis cum  
immolare solerent, et obsidione pressi talem  
inuenire non possent, frumentaceam effinxere.  
eoque pacto sacrum perfecere. Athenienses  
quoque in Iouis Milichii id aliquando effecere,  
ut ex Thucydide in Ioue retulimus. Sed ut  
sequar de uictimis, Philo Hebraeorum  
doctissimus quandoque solum Mosem  
quinque pura instituisse in sacrificiis tradit: ex  
auicio quidem genere duo, columbas et  
turtures: ex quadrupedibus tria, ouem, bouem,  
capram. Et sicut Hebraei sue abstinebant, ita  
gentes ex eo maxime rem diuinam fecere.  
Aegyptii Lunae et Libero suam immolabant,  
reliquis deis boues, uitulosque et anseres:  
capras uero et hircos non attingebant. contra  
Britanni nec leporem, nec gallinam, nec  
anserem quidem ad epulas adhibebant, nec  
deis etiam sacrificabant. Romani Pontifices  
[p.708] certe maximam hostiam, ut dixi, ouilli  
pecoris dicebant, non ab amplitudine corporis,  
sed ab animo et natura placidioris, ut inquit  
Festus. Fuerunt porro et aliae uictimae, sed  
diuersarum nationum, et gentium. nam ut canit  
Ouidius,

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,  
Ne detur celeri uictima tarda deo.

Palumbos etiam in sacrificiis adhibitos  
legimus. hinc Plautus in Penulo, Nos  
palumbem ad aram usque duximus. Sed  
institutum prosequamur. Eligebantur ergo  
hostiae, et ex grege secernebantur, quae ideo et  
lectae et eximiae dicebantur. atque hae quidem  
maiores, et huberius depastae, non claudae,  
non morbosae, non alio quouis modo uitiosae:  
futura enim cognosci antiqui non posse  
existimabant, nisi ex sacra uictima, quae  
praeterea fixam aurem, uel caudam aculeatam,  
aut linguam nigram non haberent. Et quoniam  
sic uictimae eximebantur, et seligebantur,  
factum est ut etiam Legere uerbum sacrorum  
diceretur. Numa Pompilius, deos fruge coli, et  
mola salsa supplicari instituit: unde et immolo  
uerbum pro sacrificio deductum creditur. quae

quidem mola ex farre sale et aqua componebatur, sine qua mola nullum sacrificium ratum fieri censuit. atque id far nisi tostum fuisset, ad rem diuinam non esse purum statuit. ideo et fornacalia, et religiosas ferias, quibus far in Fornacibus torrebatur, obseruari iussit. quin et Fornax dea, ut in primo Syntagmate dictum est: quos farris genus ador et adorem dicebatur, et uulgo semen, ut Isidorus ait, etiam dictum: et Edor quondam appellatum, ab edendo, quia eo primo usi sunt homines: siue quia in sacrificiis generis panes ad aras offerebantur. unde et Adorea sacrificia ait dici: quanquam Adorea pro gloria et uictoria etiam capitur. farina praeterea, ex qua mola conficiebatur, horna: hoc est, huius anni esse debebat. Graeci uero ούλοχύτας molas ex hordeo et sale in sacris confectas adhibebant. Homerus ούλοχύτας προβάλλοντο, id est, molas porriciebant. hoc Homeri interpretes et Phaurinus tradunt. Graeci ergo non far, sed hordei primitias, libaque et placentas ex hordeo offerri, hordeumque sale inspersum in primis arae infundi, satius duxere: sine quo, saluis caerimoniis, nullum sacrum fieri fas putabatur. Hinc etiam qui eiusmodi primitias colligebant, apud Opuntios, ut Plutarchus notat, Crithologis fecere nomen. Megaris uero, dum ad Terei sepulchrum sacrum fiebat, pro hordeo calculis utebantur. Dianae autem Propyleae Eleusinae mulieres nullam, nisi ex ibi nato hordeo, molam conficere fas fuit. Sed et proprii quibusdam deis panes erant dicati, de quorum nonnullis Athenaeus et Pollux libro sexto, ut sunt Obeliophori in Bacchi celebritatibus: Pelani omnibus deis communes, quos paulo supra scripsi. Bos etiam [p.709] placentae nomen, cornuta Apollini, Dianae, Hecatae, et Lunae attributa. Popana etiam, et Prothymata, in sacris, et Aesculapio in primis, ut docet in Pluto Aristophanes, adhibebantur: Melittuta uero Trophonio. Arister etiam, et Hygiea, molae species traduntur. Sed in Fornacalibus, qui non fuerant feriat, quique in sua tribu, ut erat constitutum, sacrum non fecissent, in Quirinalibus sacrificio expiare cogeantur: idcirco Quirinalia stultorum ferias dictas inuenimus. Omnibus quoque fere deis, ut post ostendemus, suae uictimae et sua sacra constituta fuere, quae praeterire et transgredi fas non erat. Namque aliena hostia, alius deus placari non credebatur, quippe non eadem Ioui et Neptuno, Iunoni et Cereri uictima

assignabatur, ut paulo post patebit. Sed nec hoc perpetuo ratum, et ubique. Neptuno plerique de nigro tauro rem sacram faciebant. Troezenii de fructuum primitiis, Graeci aliquot de cruribus taurorum: Vlysses ariete, apro et tauro litauit. Athenis autem, licet octauo die cuiusque mensis Neptuno sacrum fieret, non tamen de tauro semper: neque Apollini semper de tauro Graeci, sed multiplicis generis uictima sacrificabant. nanque Homero teste, unus tauro, alius ariete, aliquis hirco, sacrum fecit. ex bobus uero, uitulis et pecudibus laudatissimae uitulae ad deorum placamenta habebantur. Idcirco Ioui a flamine omnibus idibus bos candidus, et ex agro Falisco, aut Meuania immolabatur: illos enim ad sacra saginabant, et deorum suppliciis seruabant. Bos autem qui iugo subactus fuisset, purus non putabatur. Foetus bouis tricesimo die, pecudis septimo, suis uero decimo a partu, idonei sacris, ac puri putabantur. Creditum quoque, bouem quinquennalem insignem Ioui uictimam esse, et pecudes bimas sacrificio maturas. Solonis quidem lege de boue nulli deo sacrificari licebat, quia animal putaretur innocuum, et colonum. Tantaem uenerationis ueteribus fuit, ut aequae capitale censerent bouem, ac ciuem, necasse. Aegyptii boues ruffas Typhoni mactare soluti fuere. Arabes, pingues ac saginatos camelos in ara Ignoti Dei sacrificabant: nupturae uirgines camelis deos propitiabant. Heroibus tauro, capro, et ariete litabant. Sunt qui tradant, Pythagoram praeter sua instituta, bouem quandoque Musis, et Ioui gallum album immolasse: quod uix crediderim, propter ea quae de eo in Symbolis retuli. Romani magna religione hostias explorabant, itemque magna superstitione Aegyptii, ut in sequentibus ostendemus. Graeci, an tauri puri essent farina, an capri ciceribus, caprae uero aqua frigida explorabant: si enim haec gustare noluissent, id sacrum minus deis gratum arbitrabantur. Ulcerosam quoque uictimam ueteres reiiciebant. quin et ulcerosos augures de coelo seruare minime fas fuisse, notauimus: quod ulcus pollutio, ac corporis diminutio quaedam censeatur, ut Plutarchus [p.710] scribit. Ad haec et Ruminales hostias, nisi bidentes essent, omnes non puras esse affirmabant. Sed hoc locupletius declarauimus, dum de hostiis bidentibus locuti sumus.

Proditum uero memoriae est, a suilli pecoris genere immolandi initium Romae primum

factum, eo argumento, quod sus foederibus et sponsalibus adhiberetur. Hinc et Varro libro secundo de Re rustica, Porci, inquit, qui a partu decimo die habentur puri, et ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificia idonei primum dicuntur. itaque apud Plautum in Menechmis, eum insanum putat, qui ut pietur in oppido Epidamno, interrogat, Quanti hi porci sunt sacres? Idem Plautus in Rudente, Sunt domi agni, et porci sacres. hinc etiam sunt Nefrendes sues, de quibus sic Fulgentius ad Chalcidium: Diophantus Lacedaemonius, qui de sacris deorum scripsit, ait, apud Athenas Marti solere sacrificari sacrum quod ἑκατονφόνευμα appellabatur. Si quis enim centum hostes interfecisset, Marti de homine sacrificabat apud insulam Lemnum, quod sacrificatum est a duobus Cretensibus, et uno Locro, sicut Sosicrates scribit. Sed posteaquam hoc Atheniensibus displicuit, coeperunt afferre porcum castratum, quem Nephrendem uocabant, quasi sine renibus. Et apud Romanos scribit Sicinium Dentatum centies et uicies pugnasse singulari certamine, cicatrices habuisse supra quadraginquinque, post tergum nullam. coronas accepisse uigintisex, armillas CXL. et istum primum sacrum fessisse Marti. hactenus Fulgentius. Sed de Dentato, quanquam parum ad rem facit, Plinius et Solinus, aliique nonnihil euariant. Nefrendes, scribit Festus, arietes dixerunt, quod dentibus frendere non possunt. Alii dicunt, Nefrendes infantes esse nondum frendentes, id est frangentes. Liuius: Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem. Sunt qui Nefrendes testiculos dici putent, quos Lanuuii appellant nebrundines, Graeci νέφρους, Praenestini nefrones. haec Festus: qui quamuis Nefrendes arietes dicat, Varro tamen Fulgentio suffragatur, ut qui porcos scribat significare, qui lactentis nomine amisso, nondum fabam frendere, id est frangere possunt. Sed et in initiationibus Cereris sus mactabatur. Et quamuis in sacris ipsius deae uinum adhibere nefas esset, in hoc tamen sacro de uino libasse, pontificales libri non uetabant: quam quidem suem immolari ab eo qui mortuo iusta fecisset, crimen admitti putabatur. Deorum quoque matri nullum sacrum, nisi de porca fieri, quidam prodidere: et lustrari exercitum. Scribit Aelianus, Aegyptiis persuasum esse, sues Soli et Lunae inimicissimos esse, et semel tantum cum festos dies agunt, eos Lunae singulis annis dicasse:

alias uero nunquam nec huic ipsi, nec cuiquam deorum sacrificasse: id propterea facientes, quia execrandos [p.711] et detestandos existimabant, ut Iudaei quoque. quod et pluribus Plutarchus in Symposiacis est executus. Subdit etiam Aelianus, in mysteriis Athenienses sues immolasse, propter perniciem quam segetibus sues inferunt. Eudoxus uero ait, Aegyptios ab immolandis suibus abstinuisse, quod postquam sementem fecissent, eorum greges ad proterendam et proculcandam frugum sationem, et depellendam in altiore humum, et humidiorum, immittere solerent, ut hac quasi occatione obducta terra semina, ab auibus minus infestarentur. haec ferme Aelianus. In Mysia praeterea Abretani Iouis templum fuit, in quo sues comesse aut mactasse scelus erat: idem et apud Phoenicas, quibus per omne tempus, ut Iudaeis etiam, suibus abstinere per leges cautum fuerat. proditum tamen est, in Thessalia Veneris fanum fuisse, et aliud in Sida Pamphyliae, et in Aspendo, et Argis, in celebritate quae Hysteria dicebatur, in quibus praeter instituta moresque aliorum sues mactare licebat, cum in caeteris nullo modo fas esset. Aristophanes tamen in fabulis, suum plerunque et porcorum sacrificium commemorat. Notat et Galenus in commentariis Chirurgiae Hippocratis γλυκείαν a graecis uocari suem, uel porcum in sacrificio, blanda scilicet uoce: ut quoque simiam καλλείαν, eadem ratione. atque hac in re Callimachi uersus citat. Solum apud Thussas in Aegypto, ubi Venus cornuta colebatur, uacca illi immolabatur, et in Nitriotica praefectura ouis. Astris porro et Stellis legimus uolucres dicatas, anseres Isidi, Lunae taurum, Iunoni agnum, Veneri columbam. Graeci Mineruae iuuenecam saepe indomitam auratis cornibus mactarunt. Victimam quoque de piscibus aliquando legimus factas. Boeotii, ut scribit Athenaeus, Copaidas anguillas, a lacu sic uocatas, coronatas, molaque perfusas deis immolabant. Idem et piscatores scribit ex thynnibus, quem maximum cepissent, Neptuno immolare solitos, et sacra ea Thynnae appellasse. Mnaseas etiam Atergatidis deae sacra piscibus fieri prodidit, cum ueris et coctis, tum simulatis ex auro et argento. Phaselitae quoque in Lycia piscium salsamenta quotannis patrio ritu deis suis offerre solebant, idque sacrum institutum, quod Lacijs Argiuis a pastore Cylabra campum emisse ad

aedificandam urbem piscium salsamentis fertur, potius quam farina, uel melle. Quin etiam et aruspicinam Lycios exercuisse, Athenaeus ex Polycharmo prodit, ex piscibus et futura praedixisse. Porro et mullum piscem, id est triglam, ut alibi dixi, Proserpinae, ac item Dianae sacrarunt antiqui, et citharon Apollini, Mercurio bocas, Libero patri cittulum, apuam Veneri, Neptuno pompilum: quem et sacrum piscem quidam uocauerunt, ut pluribus Athenaeus exposuit, et Aelianus. Porro et id obseruauimus, mullum barbatulum non attingi a sacrificantibus [p.712] sacerdotibus, nec a foemina Argolica Iunonis sacerdote. Sed nec mustelam sacerdotes esitant, ut idem ait Aelianus, quod ore pariat. Caius Caligula eo uesaniae processisse traditur, ut sibi tanquam numini sacro phasianos, phoenicopteros et pauones mactari iusserit. Sed haec portenta sacrorum mittamus, caetera dicamus.

Vinum in plerisque omnibus sacris pene libabatur. In nuptiis Cereris, ut alibi dictum, non adhibebatur. Vinum nouum Baccho dare fas fuit, frugum primitiae Cereri. sed haec gustare, aut uesci his prius quam sacerdotes, minime fas fuit. Scribit Festus, Sacrima appellatum mustum, quod Libero patri sacrificabant pro uineis et uasis et ipso uino conseruandis: sic ut praemessum de spicis, quas primum messuissent, Cereri sacrificabant. In sacris uero deae Ruminiae inferre uinum expiatione dignum fuit: quippe illi sacrum facientes, hostiae lac, non uinum spargebant. Et in sacris Bonae deae, quam Floram perperam quidam uocant, cum uinum libabant, lac esse dicebant. Vestae quoque non uino, sed de Numico flumine, ut ait Seruius, libabant: quibus diebus, mense Iunio molae frumentariae, et asini sertis et pane coronabantur. Ad huius templum iuxta forum, nisi nudo pede accedere non conueniebat: sicut in aede Dianae apud Cretenses, quam Britomartin nominabant, de qua in Dictynna abunde locuti sumus. Proditum quoque memoriae est, Romulum nunquam uino in sacris, sed lacte libasse. Quin etiam Athenienses Mnemosynae, Aurorae, Soli, Lunae, Vraniae, et Nymphis non uino, sed aqua melle diluta sacrificasse, ut in sacris Nephaliis iam dictum. Vbi autem in sacris uina libare deis necesse fuit, ex graeca et imputata uite, seu fulmine tacta, aut quae uulneratis pedibus calcata, uel immundicie polluta fuerat, aut iuxta quam homo laqueo pependerat,

quaeque circumcisis uinaceis profluxerat, uina libare deis infaustum erat, sed ex iis tantum uitibus uisque fertilibus laticis, qualem, ut canit Poeta,

Pateris libamus, et auro,

Inflaut cum pinguis ebur Tyrrenus ad aras,  
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Pythagorae quoque Symbolum fuit, Ne deis libaris ex imputatis uitibus: ut plane ibi exposui, uinum uero antequam funderet sacerdos, prius simpululo ligneo propinabat, uel fictili, quod et simpuium uocatum uideo. Iuuenalis Satyra VI,

Simpuium ridere Numae, nigrumque catinum.

Hinc simpullatrices mulieres sacris deditae, ut Faustus ait. erat autem simpullum, in sacrificii apparatu haud cyatho dissimile. Huius meminit Cicero in tertio de Legibus, et Plinius libro trigesimoquinto. Vocatur etiam Sympinium. Arnobius, agens de uino in sacrificiis: [p.713] Date quaeso, inquit, deis immortalibus ut bibant, scyphos, brias, pateras, sympiniaque depromite. Idem paulo post: Operaeprecium est etiam uerba ipsa depromere, quibus cum uinum datur, uti ac supplicare consuetudo fuit: Mactus hic uino inferio esto. Inferio, inquit Trebatius, uerbum ea causa additum, eaque ratione profertur, ne uinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum est, esse sacrum incipiat, et ex usibus eripiat humanis. Addito ergo hoc uerbo, solum erit quod inferetur sacrum, nec religione obligabitur: ut inferium uidelicet uinum dicatur sacrum, quod deis infertur. Sane et Varro, Depesta, ait, dicta etiam nunc in diebus sacris Sabinis uasa uinaria, in mensa deorum sunt posita. Apud antiquos scriptores graecos inueni appellari poculi genus Depestam, quare uel inde radices in agrum Sabinum et Romanum sunt profectae: quod uinum dabant ut minutatim funderent, a guttis Guttum appellarunt: quod sumebant minutatim, a sumendo simpullum nominauere. In huiusce locum in conuiuibus e Graecia successit Epichysis, et cyathus, in sacrificiis remansit Guttus et Simpullum. haec Varro. Sed et hodie guttum habemus in conuiuibus, Guttum tota Venetia nuncupantes. Epichysi utitur et Plautus in Rudente. Praeterea, inquit, sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathus. Sane graeci *σπονδεῖα* uasa dicebant, a *σπένδω*, id est sacrificio dicta, in quibus deis uina

libabant. Σπόνδικες uero, huiusmodi sacerdotes uocabantur: Et quoniam in sacris morosa et cunctabunda uoce utebantur, inde spondaeus pes, sacris maxime aptus dictus est: et οινόσπονδα cum uino sacrificia peracta. Thasii uino libaneo odore thuris deis prolibabant. Et apud Asopum in aede Eumenidum mulso libare, et pro coronis, floribus uti permissum fuit. Sane Seleucus apud Athenaeum libro secundo, negat ueteres uini copiam, aut deliciarum quippiam in sacrificiis inferre solitos, cum tamen θοίνας, et θαλίνας, et μέθας deis impenderent: et quidem θοίνας, quod uino uterentur: θαλίνας, quod uescerentur: μέθας uero, quod μετὰ τὸ θύειν, post sacrificia hilares fierent. Epicharmus etiam apud eundem corruptos mores notat, ac mutatam, frugalem illam in sacris obseruantiam. Ex sacrificio, inquit, epulum, ex epulo facta est potatio, ex potatione comus, ex como facta est θουανία, id est ludus: ex θουανία iudicium, ex iudicio condemnatio, ex condemnatione compedes, sphacelus, et mulctatio. Haec ille. Quid, inquam, si hoc tempore uiueret Epicharmus, de nostris nunc sacris diceret? Nundinas, non sacra appellaret. Sed nos nostra mittamus, uetera sequamur. [p.714]

Victimae plerunque maiores auratis cornibus procedebant, minores coronatae offerebantur, ut planius non multo post dicam. Obseruabant etiam, ut si uinum hostiae infundendum foret, molam aut fruges in caput spargerent, ordine praepostero: si uero cum hostia ad aras ducebatur, uehementius fuisset reluctata, inuitaque altaribus admoueretur, uel si aufugisset, uel percussa mugitum dedisset: aut in aliam corporis partem, quam oporteret, cecidisset: piaculare sacrum, et triste auspiciam facere credebatur, quasi quod inuitis Deis offerri uideretur. quae uero fugisset hostia, ubicunque eam nacti fuissent, mactari oportebat, ne maius piaculum fieret. Iones tamen contra instituta moresque sacrorum, tunc maxime hostiam litare, et deis gratam fieri putabant: cum inter immolandum taurus mugitum dedisset. Existimatum etiam antiquis est, funestam familiam, seu hominem funere pollutum, nec publica sacra facere, nec aedes deorum dedicare posse, nisi in lemuralibus et parentalibus, ut suo loco dicemus. Notauimus supra in Succidaneis, foemininas hostias potiores apud Romanos fuisse. apud Aegyptios tamen uetitum fuit, foeminam

hostiam immolare. Barbaris quoque circa montem Caucasum, et apud Derbices Persicam gentem, foeminam uictimam fuisse, aut eius carnibus uesci, sub graui documento uetabatur. Si tamen primis hostiis non litassent, aut primum sacrum negligentia uel casu non recte initum, aut curatum foret, illud denuo augeri, et uictimas succedere ad expiandos deos permittebatur, donec rite perlitatum esset. Illud non omiserim, Romanos consueuisse pro rebus quas cito expedire uolebant, aetate grandioribus hostiis: ubi uero rem augere uellent, seu produci, iuniore uictima sacrificasse. Nec unam unquam hostiam duobus deis, aut incertis, sed certo immolare solitos: quia utri deo res diuina facienda esset, facile ut dinosceretur: superisque deis impares et albas, inferis uero pares et nigras obtulisse. Veteres etiam illud obseruabant, ut si pro infantibus immolandum foret, non grandis, sed minor hostia mactaretur: obseruatumque est in deorum Manium sacris, auersa ac tristia auspicia, et dira magis fausta esse. Itaque in his non litare potius, quam litare est. Animalia praeterea sacrificiis congrua, integra atque infecta, quae a graecis ἄρτια et ἄτομα dicebantur, legebantur: καὶ μὴ ἔμπηρα, hoc est, non curta, seu mutila. nam et Solon philosophus dicere solebat, ἔμπηρα ἀφελῆ. Sacrificiorum etiam quaedam ἐπιθετα, hoc est adiecta, seu apposita dicta legi, quorum in Areopagitico meminit Isocrates: quae non erant indigena et patria. Fuere et quae Dorophorica, et quae Apolytrotica, quaeque Apoplectica, atque Athyta nuncupata fuere. Item quae δυσέκθυτα, hoc est, in quibus non erat litatum, uel quae dira sacra ab aliquibus dicuntur. [p.715] Porro sicut hostiae purae ac integrae parandae fuerant, sic et sacerdotes, qui sacra facturi erant, nisi tales fuissent, et ipsi a sacris arcebantur. Id Plinius in septimo declarat, de M. Sergio agens. Et Seneca libro quarto Declamationum de Metello loquens, et Dionysius Alicarnasseus libro secundo historiarum quo loco agit de sacerdotibus a Romulo constitutis.

Par etiam fuerit ritus et cerimoniae subsignare. nam singulis fere deis sua sacra instituta fuere, quae transgredi aut praeterire nefas ducebatur. neque deos omnes eisdem semper sacris, sed alios aliis ritibus, cerimoniaisque placari, toto hoc de Deis opere docui: quae tamen in omni sacrificio solennia

seruari in uniuersum solita, quasue caerimonias custodiri, hic tibi collecta perscribam.

Sacerdos in omnibus sacrificiis rite celebrandis, antequam deis immolaret, aut rem diuinam faceret, quibusdam se prius sacris praeparabat. unde Graecis uerbum frequens ἐξοργιάζω, quod est, ad cultum sacrorum se expiare. Inter haec erat corporis ablutio. unde et Aeneas ex ritu deos precaturus, ait in secundo Aeneidos

Donec me flumine uiuo Abluero,

Tum etiam a Venere abstinebat, ut ad celebranda sacra lautus ac mundus accederet. Legimus Numam Pompilium, cum pro frugibus faceret, esu carniū et Venere abstinuisse: et Iulianum Caesarem, et si Procopio credimus, Iustinianum, oleribus leguminibusque contentum saepe coenitasse, ob religionem. eos item qui initiandi essent Isidis sacris, dies X parcere carniū et uino. Quin et Aegyptios festis quibusdam diebus ieiunia seruasse: id quod et Hebraeos adhuc obseruare animaduertimus. Aquae quidem aspersione corporis labem tolli, et castimoniam praestari putabant, praeterque Mysos et Essaeos, aliosque qui ob religionem animantibus abstinebant, ut supra dictum est: coelibemque uitam agebant, qui Abii et Anymphi dicti fuere. Constat sacerdotes Matris deum Samia testa sibi uirilia amputasse, atque illos qui maxima sacra obibant, ut in casta religione manerent, et procul a mulierum contagio uitam agerent, herbis quibusdam euirari, et uirilitem amittere: utque nulla nisi sacrorum maneret cura, nudique et uacui religioni ac pietati intenderent, cunctarum se rerum dominio abdicare. quod iure pontificio ueteri caueri quidam putant, illis uerbis: Ad diuos adeunte caste, pietatem adhibento, opes amouento. qui secus faxit, Deus ipse uindex erit. Quam castimoniam apud exteros quoque seruata notauimus. Quippe in Thesmophoriis, matronae Athenienses ut Venerem cohiberent, foliis uiticis cubilia substernebant. nonnulli garo ex pisciculis, qui squamam non haberent (quod incendia libidinum reprimere feruntur, et irritos conatus facere uenereos) in sacris usi fuere: quod [p.716] Agesilaus putabat, deos non minus religiosis operibus, quam sacrificiis castis delectari: quod et Rex et poeta Iudaeus ante illum monuerat. Legimus praeterea, hierophantas Atheniensium postquam in sacerdotium cooptati erant, ut caste sancteque

sacrum facerent, cicutaē sorbitione se castrauisse: Aegyptios uero sacerdotes negotiis omissis, mulieribus nunquam indulsisse, carniū et uino abstinuisse. Itemque Gymnosophistas adeo abstinentiae studiosos fuisse, ut pomis solum oriza et farina alerentur. In Creta quoque, ut Euripides testatur, quos uocabant Iouis prophetas, non modo carniū, sed ne coctis quidem uesci solitos fuisse: et Indorum Magos proditum est, qui ad solis sacerdotium promoti fuerant, carniū abstinuisse, et nunquam sub tecto fuisse, sed lineis uelatos sub diuo uitam aegisse. Quin etiam obseruatum antiquis inuenimus, ut qui rem diuinam facturus esset, ad suas leuandas culpas, se in primis reum dicere solitum, et noxae poenituisse, et admissa fassum, uultusque summississe, et ad omnem modestiam finxisse: quod utinam et hodie perseueraret in nostris, inter quos plerique nulla reuerentia ac modestia sacra obeunt. Sed et uestibus sacerdotes amicti erant sacris, ut ex Romanis historiis didicimus, ne nunc Hebraeos afferamus. Sed et Platonis uerbis uidemus: Nam, inquit, in sacrificiis et celebritatibus, pulchra ueste, aureisque coronis ornatus sacerdos rem diuinam facit. Sacerdos autem qui uictimam faciebat, pura in ueste, et candida, plerunque intextili tela, nec maioris operis quam menstruae, nonnunquam in purpura et auro: triumphales uiri, et qui amplissimos honores adepti fuissent, in triumpho ornatu, aut in praetexta, lotis manibus, et fronde coronati, sancti et uenerabiles, nudis pedibus, et tonsa coma ad rem diuinam accedebant. idque iam a Pythagora traditum, sed a Iudaeis Lacedaemonii obseruarunt, qui nudis pedibus adorandum sacrificandumque censuerunt. Sed de nudipedalibus in Annotationibus dictum est. Pura autem et religiosa uestis dicebatur, ut Festus ait, et Seruius, qua rem diuinam facturi festo utebantur die. ea quidem erat soluta omni uinculo, nullis maculis nec aliquo squallore obsita, nec funesta, aut fulgurita. Caper et Hyginus in illos Vergilii,

Fontemque ignemque ferebant

Velati lino, et uerbena tempora uincti:

Quo loco non lino, sed limo legendum aiunt. Limum enim uestem fuisse dicunt, in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam habentem, unde nomen accepit. Sane Aegyptii laneas uestes in deorum templa non inferebant: hinc et linigeri dicti. Sic ergo

instructus sacerdos ipse, uel praeco publicus, sacra praecedens clamabat: Hoc age. ac uoce populum excitabat, uirgaque turbam summoiebat, quae commentaculum [p.717] dicebatur: et silentium indicebat, ne mala aliqua uox obstreperet, neue quid triste audiretur, et sacris fauere, et attentos esse iubebat. hinc Vergilius ait in tertio, Fida silentia sacris. Vnde et graece mysteria dicta, ab occludendo ore, id est μύειν τὸ στόμα, licet aliter Phurnutus putet, ut in Mysia Cerere retuli. Hinc etiam dicere solebant, Pascito linguam, teste Festo. De silentio plura dixi in Symbolis Pythagorae. Seclusa sacra dicebantur, quae Graecis dicebantur mysteria, ut docet Festus. Initiationes uocat Cicero, Liuius, aliique. Sunt et qui opertanea sacra huc transferant, quorum et Plinius meminit, in quibus gallinae nigrae non uidebantur purae. Dicit uero uidentur opertanea, quod seorsum ab hominum conspectu et in operto fierent: uel quod mystica essent, et ἀπόρρητα. In deorum ergo sacrificiis taciturnitate ac silentio opus fuit, et ut intentis essent animis. Si enim opus facientem sacerdos inter sacra uidere contigisset, temerari et pollui putabatur. Ideo ei custos dabatur, qui sacra inspiceret: et alter, qui linguis fauere iuberet. Propterea etiam et mali ominis uerba uitabantur. hinc Seruius libro quarto: Mactat, ait, uerbum sacrorum fuisse κατ' εὐφημισμὸν, id est per bonum omen dictum, ut adolere. Nam mactare proprie est, magis augere. Vergilius,

Mactant lectas de more bidentes.

Quoties enim aut thus, aut uinum super uictimam fundebatur, dicebant, Mactus est taurus, thure, uel uino: hoc est, cumulata est hostia, et magis aucta: id quod et Isidorus libro decimo scriptum reliquit. Apud Graecos autem ad sacrificium accessurus sacerdos, hoc primum praefari solitus fuit, τίς τῆδε; hoc est, Quis hic? Qui uero intererant sacris, referebant, πολλοὶ κᾶγαθοὶ, quod est dicere, multi et boni. Quin et illud etiam in sacris dictum obseruant scriptores, quod et legitur apud Callimachum in hymnis, ἕκας ἕκας ὅστις ἄλιτρος. Quod et similiter Vergilius usurpauit, cum ait:

Procul hinc procul este profani.

Nam polluti homicidio, aut humano infecti sanguine, caeterique eiusmodi, a sacris arcebantur: neue aras contingerent, aut sacrificio interessent, publicis legibus prohibebantur. Sane apud Graecos legimus,

sacra quaedam ἀβέβηλα nuncupata, in quibus interesse profanis haud fas fuerat: uti βέβηλα, ad quae etiam profani admittebantur. Et quia in quibusdam sacris mulieres innuptas, aut seruitio pressos, uel aere coemptos abesse oportebat, ideo in sacrorum apparatu licitor praefari solebat: Hostis uictus, mulier uirgo exesto. At in Chaeronea sacerdos lorum tenens pro aedibus sacris Matutae, id est Leucotheae, clamitabat: Seruum non ingredi, non seruam, non Aetolum, non Aetolam. [p.718] Iis enim sacrificio adesse eo loci non licebat. Apud Magos qui essent lentiginosi, tanquam deis inuisi, ab aris summoiebantur. Item qui elati reuixerant, quibusque uiuentibus exequiae factae fuissent, uelut profani, a sacris propellebantur. Apud Germanos, iis qui scutum amisissent in acie, sacris interesse haud licebat: et apud Aegyptios, subulcis omnibus templa interdicta fuere: Item menstruatibus Hebraeis, et foetis, post XL diem, et qui impetigine deformes essent. Apud Scythas quoque, qui hostem nullum interfecissent in acie, in sollemnibus libare non poterant: reliqui initiati interesse sacris non prohibebantur. Romani sacerdotes cum adorarent, rem diuinam facturi, capita uelabant: Graeci aperto erant capite. Sane quod Romani uelarent capita, praeter Vergilium et Plutarchum in Causis, ita Festus: Saturnii, inquit, dicebantur, qui castrum in cliuo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei deo ante bellum Troianum uidetur, quia apud eam supplicant apertis capitibus. Nam Italici, auctore Aenea, uelabant capita: quod is cum rem diuinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlysse cognitus, interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis uitauit. hoc idem Plutarchus pluribus, et alia. Seruius uero non Vlysem, sed Diomedem ait, iussum Palladium reddere: qui cum implere pararet, Aeneam sacrificantem inuenit. hinc Nautes Palladium accepit, atque inde mos uelandi capitis. id quod Helenus Aeneae praedicat libro tertio Aeneidos.

Purpureo uelare comas adopertus amictu.

Macrobius autem in tertio Saturnaliorum ex Balbi sententia, apud aram Maximam obseruatum ait, ne lectisternium fieret: ubi etiam aperto capite omnes sacra fecisse tradit. quod fiebat, ne quis dei habitum imitaretur: nam ibi ipse operto capite erat. Varro ait, Graecum hunc fuisse morem, ut scilicet graeco ritu sacrificaretur in ara Maxima. hoc et

amplius addit C. Bassus, idcirco hoc factum fuisse, quia ara Maxima ante aduentum Aeneae in Italia constituta est, qui hunc ritum uelandi capitis inuenit, ut supra dictum est. Scribit Numa in Pontificalibus, Tutulum uocari pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accessissent. hoc idem ad Chalcidium Fulgentius. Vergilius:

Et capita ante aras Phrygio uelatus amictu.

Quare uero Saturno aperto capite sacra fierent, ut ueritatis cultori, et honori, pluribus Plutarchus in Quaestionibus. licet sint qui scribant, ne sacerdotis animus a sacris auerteretur, quod et supra tactum. Dexteram dein ad os ferebat, seque in orbem circumagebat, ut erat a Numa institutum: de qua in sacris, quae diuersimode fiebat, uertigine, locupletius in Symbolis disserui. Tibicines praeterea et citharoedi in sacrificiis adhibebantur, qui praecinerent, monerentque ne [p.719] aliud ageretur, neue exaudiretur: quibus et ius fuit in aede uescendi, id quod prisca religione seruatum est. Tibiae uero quibus in sacris utebantur, ex buxo fuerant: quae autem in ludis, ex tibiae asininae osse, aut ex argento confectae erant. Sed de multiplici tiliarum genere, in Poetarum historia scripsi, cum de scena agerem. Aegyptii in sacris non tibias, sed cantus adhibuere. Hostia ergo si maior erat, auratis cornibus plerunque immolabatur. S. C. extat de ludis Apollinaribus primum faciendis, quod Macrobius recitat primo Saturnaliorum. In quo Decemuiri praeceptum fuit, ut graeco ritu hostiis sacrum facerent, Apollini boue aurato, et capris duabus albis auratis: Latonae boue foemina aurata. Ludos in circo, populus coronatus spectare iussus est. hinc Ouidius ait,

Indutaque cornibus auro

Victima, uota facit.

Et alio loco,

Blandis indutae cornibus aurum

Conciderant ictae niuea ceruice iuuencae.

Iuuenalis, Frontemque coruscat, dixit: propter scilicet cornua aurata. Ascanius in decimo Aeneidos apud Vergilium,

Et statuam ante aras aurata fronte iuuenicum

Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,

Iam cornu petat, etc.

Quo loco Seruius: Quae Ioui conueniret uictima, perbelle exponit. Si minor hostia esset immolanda, illius dei fronde coronabatur, cui sacra fiebant: laneaque infula et candida uitta

circundata, ante aras nullo uinculo ligata sistebatur. neque enim in sacris uinctum quid esse debet, ut notat in tertio Aeneidos Seruius. licet Iuuenalis in duodecimo ita scribat:

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,

Tarpeio seruata Ioui, frontemque coruscat:

Quippe ferox uitulus templis maturus et arae,

Spargendusque mero, etc.

Et Isidorus ab aliquibus uictimam uocatam tradit: quod uincta ad aras ducebatur, ut supra dictum est. Sed hoc ad ferociam uictimae dictum est, dum duceretur: uel ut alii exponunt, referentes ad tempus ante sacrificium, quo ligatae fuerant. Scribit enim Seruius, in ratione sacrorum, quod par est animae et corporis causa. nam plerunque quae non possunt circa animam, fiunt circa corpus: ut est soluere, uel ligare, cum non possit anima per se, ex cognatione potest. ergo Helenus apud Poetam bene,

Vittasque resoluit Sacraei capitis.

Item illud,

Vnum exuta pedem uinclis in ueste recincta.

Quoties quoque uictima reluctabatur, ut dixi supra, ostendebat [p.720] se improbari. Vnde apte Vergilius in decimo,

Et statuam ante aras aurata, etc.

Et alibi,

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Lucanus,

Discussa fugit ab ara Taurus.

Hinc et Ammianus historiae libro XXXII. Abunde ratus post haec Iulianus prosperitates similes aduentare, complures hostias Marti parabat Vltori: et ex tauris pulcherrimis decem, ad hoc perductis, nondum aris admoti uoluntate sua nouem procubuere tristissimi: decimus uero, qui diffractis uinculis lapsus, aegre reductus est, mactatus ominosa signa monstrauit. Contra uero apud Senonas: nam lucum sacrum uenerabantur, quem nisi uinculo ligatus ingredi nemo poterat. qui si forte prolapsus corruisset, attolli minime licebat, sed per humum reptare conueniebat. In Scythia quoque Marti sacrum fieri solebat, in quo uictima primis pedibus ligata ad aram sistebatur, cui laqueum collo iniiciebant, ac baculo circumducto strangulabant, sine precatione et uotis.

Sed et aqua in sacris adhibebatur. nam et expurgari adeuntes ad sacra solitos aquae inspersionibus legimus: in qua torrem ex altari,

ubi rem diuinam fecissent, prius extinxissent, quae Chernips diceretur. Scribit Seruius in quarto Aeneidos quod qui superis sacrificabant, abluebantur. Vergilius,

Donec me flumine uiuo Abluero.

Qui uero deis inferis, aspergebantur: ut illud, Spargens rore leui, etc.

Aquam autem Romani de fonte Iuturnae, qui circa Nomicum labitur, in omnibus sacris adhibebant, ut in XII. Seruius scribit, inspergebantque. Eam uero aquam super terram posuisse, piaculum ac triste omen erat. Ideo uas lato ore, et fundo angusto, in quo hauriretur, ne stare posset, in sacris adhibebant: quod uas, Donatus et Seruius futile uocant. Et de eodem ita Lactantius libro octauo Thebaidos, Futile, inquit, uas est quoddam lato ore, fundo angusto: quo utebantur in sacris deae Vestae, quia aqua ad sacra in terra non ponebatur: quod si factum esset, piaculum erat. unde excogitatum est uas, quod stare non posset, sed si positum esset, statim funderetur. unde et homo commissa non retinens, futilis dicitur: et contra non futilis, bonus consiliis. Licet quidam eruditi, hoc uas cadum etiam et scyphum dixerunt: illudque manibus tenere oportebat, quod quidem Flaminicae uirgines sacrorum ministrae, aut Vestalium famulae, et nonnunquam pueri flaminum ministri, quos Camillos appellabant, ut dictum est alibi, patrimi et matrimi omnes coronati tenebant manibus. Ex hac Iuturnae aqua aegros curari, et bonae ualitudini restitui, ex Varrone alibi recitauit. Apud Athenienses uero aqua sumebatur [p.721] ex Callirrhoe fonte, magnae religionis in maximis sacris, et sponsalitiis caerimoniis: in quibus aliam adhibere, nephas habebatur. In Delii Apollinis templo praecipua aqua fuisse fertur, sacrificantium usui accommoda: quam ad alios usus hausisse, magni criminis instar erat. Graeci in sacrificiis et expiamentibus, Eleutheria quam frequentes adhibebant. Troezenii, ex Hippocrene: Persici reges ex Choaspe, quam peregre profecturi secum etiam ferebant: Arabum reges ex Euleo, qui ortus a Medis, praecipuo nitore fluit. Prae caeteris uero Aegyptii, tanti Nili aquam fecere, ut cum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent: et sublatis manibus, deis gratias agerent, nimirum cum et fluuium ipsum deum existimarent, Iouem etiam ipsum appellantes, ut in Ioue traditum est. Ferunt et Babylonios reges ex Nilo et Istro aquas inter

gazas condere assueuisse, ut hoc argumentum suae magnitudinis ostenderent, cum per tot spacia terrarum, totque inuias regiones adueherent. Mox sacerdos Romanus, lanea infula uelatus, et fronde coronatus, puraque ueste indutus, aram manibus tenens (nam nisi manu teneretur non litari putabatur) sacra peragebat. Vergilius quarto Aeneidos:

Talibus orantem dictis, arasque tenentem

Audiit omnipotens. I

dem libro sexto,

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

aram tamen tangere pellex, lege Numae uetabatur: si tetigisset, solutis crinibus agnum caedere iubebatur, tum sacerdos uersus ad orientem, (matutinum quippe tempus sacrificiis idoneum existimabant antiqui: nam deos tunc assidere templis et matutinis salutationibus adesse opinabantur: Magorum Persarum exemplo, quibus mos fuit primo semper diluculo deis canere hymnos, laudesque, Solemque orientem uenerari) meditato et solenni precationis carmine, uerbis priscis ex annalium uetustate erutis, numina et deos precatus, uota effundebat: quam precationem plerunque ter repetebat. Indi uero et Gymnosophistae in meridie, et ubi multum diei processerat, immolare deis solebant. Meridiale, inquit Festus, ueteres hostiam atram appellabant, quam meridie immolabant.

Trismegistus Mercurius censuit, ut adorantes medio die se conuerterent ad austrum, occiduo ad occasum: si uero primum oriretur Sol, in ortum. Fuit et Apollonii Tyanei opinio, summo diluculo cum deis uersari: procedente mox die, de deis loqui oportere. Moses autem et Hebraei occidentem Solem spectare consueuerunt. Alibi a me est obseruatum ex Graecis in Pindarum commentariis, ad orientem deis sacra fieri, heroibus uero ad occidentem. Porphyrius quidem philosophus, templorum statuas et ingressus orientem spectare debere statuit, uti adeuntes in occasum conuersi, et in simulacrorum ora, [p.722] id est, ἀντιπρόσωποι, preces effunderent. Lucianus etiam templa condi ad solem orientem ueteres consueuisse asserit. hinc Vitruuius libro quarto de sacrarum aedium positione idem scribit, ut aedis signum quod erit in cella collocatum, spectet ad uespertinam coeli regionem. Sedenim infula, quam dixi, ex lana alba et cocco fuit, instar fasciae, plerunque lata, nonnunquam tortilis et rotunda: ex qua uittae, quae et Teniae

dicebantur, hinc et inde difflebant. Sane piaculum incepto sacro committebatur, si aliquo modo sacrificium interrumpere. quod Vergilius in tertio Aeneidos de Heleno ostendit, cum ait,

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum,

Hostilis facies occurrat.

Idem et octauo,

Audax quos rumpere Pallas

Sacra uetat, raptoque uolat telo.

Vbi Seruius: Cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, et Annibal annunciatum esset circa portam Collinam ingruere, omnes raptis armis concurrunt. reuersi postea, cum piaculum formidarent, inuenerunt saltantem in circo senem quendam, qui cum interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, ductum est hoc in prouerbium: Salua res est saltante sene. quod tamen in tertio Aeneidos nonnihil euariat: atque item Festus, qui senem illum Pomponium appellat. Porro et intermissione piaculum committebatur, quod alibi notauit, ut in eo Poetae,

Annua quae differre nefas.

ubi piaculum fieri ait intermissione anniuersariorum. Sed sacrificiorum reliqua afferamus.

Principium precationis a Iano et Vesta fieri solebat, quae in omnibus sacris praecipua numina habebantur: de quibus suis locis abunde sum locutus. In uotis enim nuncupandis perpetua hi meruere praefationem. Et de Iano quidem Fabius Pictor libro primo: Vinum, inquit, et far primus illos docuit Ianus, ad sacrificia et religionem magis, quam ad esum et potum. primus enim aras et pomoeria et sacra docuit, et ob id illi in omni sacrificio perpetua praefatio praemittitur, farque illi ac uinum primo praelibatur. Illos tamen qui ad aram Maximam sacrum faciebant, alium quam Herculem deum aduocare non decebat. Cui uero deo sacrum fuerat constitutum, id moris fuit, ut post ipsum reliqui inuocarentur, ut uolentes et propitii uotis et precationibus adessent. Domitianus tamen Mineruam genitricem, et Antoninus Heliogabalus suum deum praeponi mandauerunt. In Peloponneso Melissa nympa, quae usum mellis illis dedisse credita est, in sacrorum praefatione adhibebatur.

Sane et cuique Deo sua carmina, suaeque precationes, quas sacrificarum [p.723]

simplicitas nunc orationes et collectas uocat, institutae erant, quae conceptis uerbis efferebantur, et ne quid praepostere fortasse diceretur, aliquis praeire solitus fuit. id quod ex scriptoribus, et in primis Liuio saepe notauimus. Sane alii aliter has preces offerebant, et propterea particulam ascribam ex Arnobii libro secundo, aduersus Gentes: Neque, inquit, quod magi spondent commendatitias habere preces, quibus emollitae nescio quae potestates, uias faciles praebeant, ad coelum contendentibus subuolare: neque quod Hetruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, et ab legibus mortalitatis abduci, etc. Qui hoc loco Acherontici libri, Aruntii dicuntur a Seruio, ut in Tagete dictum est. Precibus peractis, et rite deis deprecatis, sacerdos qui rem diuinam faciebat, se ad dexteram uoluere, et circumuerrere solebat, manumque, priore digito in dictum pollicem residente, ori admouere: deinde sedere, uelut deis ratas preces habentibus. Galli uero, se ad laeuam uerrere putarunt religiosius esse. Sed plura de hac in sacris uertigine, in Symbolis Pythagorae recitauit. Graeci post effusas preces, manus osculabantur: quod honoris etiam gratia factitatum, apud Homerum et alios obseruauit, id quod nunc est in frequenti non sacrorum modo, sed et profanorum etiam usu. Certe et uictrices imperatorum dexteris milites deosculari, ob fortia aliqua facinora solitos legimus.

Illud praeterea quoque annotauit Romanos factitasse, ut fanum aliquod praetereuntes, manum labris et ori admouerent, tanquam deos uenerarentur, quod Deo maxime silentium conueniat. Vinum antequam sacrificulus simpululo circumferret, ut astantes pariter libarent, tum setas inter cornua uictimae manu excerptas, tanquam prima libamina in ignem mittebat. id quod et Vergilius non ignorauit, cum cecinit in sexto Aeneidos,

Et summas carpens media inter cornua setas  
Ignibus imponit sacris.

Mox uictimarius obliquum cultrum ferreum, oblongum, id est secespitam, a fronte ad caudam uictimae ducere, et se ad orientem uerrere solebat, quod in sacrificio habebatur primum. hinc ait Vergilius in XII.,

Illi ad surgentis conuersi lumina solis,

Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro

Summa notant pecudum, paterisque altaria libant:

et caetera, quae cum summa sacri caerimonia a Poeta dicuntur. Est autem secespita, gladius manubrio eburneo rotundo solido, iuncto ad capulum auro argentoque, fixus clavis aeneis, aere Cyprio, quo flamines, flaminisque uirgines, pontificesque ad sacrificia utebantur. [p.724] Suetonius in Tiberio: Nam et inter pontifices sacrificanti simul, pro secespita plumbeum cultrum subiicendum curauit. Dicta autem secespita, a secando: auctor Festus. Hinc etiam secium libum dictum fuit, quod eodem teste, secespita secaretur. Alii secespitam securim, alii dolabram aeneam et cultellum putauere. quin et scena securis, an dolabra fuerit, ambigitur: quam Cincius in libro qui est de uerbis priscis, dolabram dixit pontificam. Liuius in Lydio: Corruit quasi ictus scena, haud multo secus. quibus uerbis uidetur scena et secespita eadem ferme esse, nisi codices mentiantur. Erat apud Delphos hoc in more, et cultro quo deis immolabant, de nocentibus etiam supplicium sumerent. Persae et Cappadoces non gladio, sed stipite hostias mactabant. Romani etiam interdum malleo. Apud Homerum etiam querno trunco. adeo uaria sacrificandi religio fuit gentibus. Quod uero supra primum in sacrificio haberi diximus, id ita intelligebamus: primam sacrificii partem fuisse deis libare, secundam immolare, tertiam reddere, quartam litare. Sane nec hoc loco praetereundum est, libare et litare uerba esse sacrorum, et utrunque a Graecis desumptum, a λείβω uidelicet, et λιτομεῖν. his tamen ut latini nostri sunt usi, in hoc differunt, quod libare, utcunque sacrificare est, immo leuiter et modeste tangere, ut fere in sacrificiis solemus. hinc et ad alia transfertur. Vergilius,

Oscula libauit natae.

Litare uero est rite sacrificare, et impetrare: id quod ex auctoribus facile colligimus. Plinius libro octauo de uitulo: Quamobrem, inquit, uictimarum probatio in uitulo, ut articulum suffraginis contingat, breuiore non litat. Hoc quoque notatum, uitulos ad aras humeris hominum illatos non fere litare, sicut nec claudicante, nec aliena hostia deos placari, nec trahere se ab aris. Suetonius Tranquillus in Caesare: Dein pluribus hostiis caesis cum litare non posset, introiit curiam sprete religione. Vergilius,

Sacrisque litatis Indulge hospitio,

Lucanus Hetruscum Aruntem inducit:

Neque enim tibi summe litauit  
Iupiter hoc sacrum.

Martialis,

Non quaecunque cadit hostia caesa litat.

Plautus in Poenulo, Si Hercule istuc unquam factum est, tum me Iupiter faciat, ut semper sacrificem, nec umquam litem. Nihil enim sacris mancum, ut ante dictum est, nihil monstrosum conueniebat. nam si uiscera pallere, tetrisque maculis suffusa apparuissent, si iecur tabidum, si pulmonum fibrae defuissent, si sine corde uel praecordiis uictima, non litandum ueteres gentium sacerdotes existimarunt. [p.725] Hinc succidanae hostiae, de quibus iam actum est: unde et litatio dicta, et perlito uerbum. T. Liuius libro primo, V. Decadis, Quod caput iecinori defuisset, tribus bubus perlitasse nequiuit, senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit. Praeter libo et lito, sunt et alia uerba, quibus in sacris ueteres utebantur: ut lego, unde et lectae hostiae, quod et ideo Seruius ait uerbum esse sacrorum: et immolo, a mola, qua hostia inspergebatur, ut iam dictum: et similiter macto, et adoleo. Operor item est uerbum sacrorum, unde operata iuuentus a Vergilio, et operatus in herbis. Sunt et alia pene innumerabilia: sed nos potius de Sacrificiis sermonem coeptum continuemus. In quocunque sacro id fieri mos fuit, ut faces adhiberentur ex tedae ligno, quas faces nisi mares ferre fas fuit, alias neminem: et igne accenso super aras (neque enim sine igne ullum sacrificium fieri licebat) tum uictimam immolare succinctos ministros sacerdos iubebat: qui uictimarii et cultrarii a nonnullis, et popae dicti sunt. Quidam et agones uocant. Lactantius in quarto Thebaidos, Sacerdotum, inquit, consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant uictimas, et Agones appellantur: aut sic tenentes cultrum, alter impingat. ideo dicit Statius,

In uulnus cecidere greges.

Quin et uictimatores dicuntur: de quibus Vergilius,

Supponunt alii cultros.

Hi autem uictimam supra uerticem, plerunque infra iugulum feriebant, idque pro dei uel animalis ratione. Indi quidem non iugulare, sed praeccluso spiritu uictimam necare assueuerunt, ne quid de sacro deperiret, neue quid mancum deo offere uiderentur. Graecis autem id moris fuit, ut in primo Apollonii interpretes docent, si coelestibus deis uictimam

immolarent, sic hostiae caput statuere, ut coelum spectaret: si uero inferis, ut despiceret terram. Porro ministris quidem, nisi iussi essent, mactare non licebat. ideo succincti nutum imperiumue expectantes, Agon', id est Ago'ne, dicebant. Seneca libro tertio Partitionum: Belle, inquit, deridebat haec Asinius Pollio: Filius, inquit, ceruicem porrigat, carnifex manum porrigat: deinde respiciat ad patrem, et dicat, Agon': quod fieri solet in uictimis, haec Seneca. Sed et Ouidius primo Fastorum, pulchre his uersibus ostendit:

Nominis esse potest succinctus causa minister,

Hostia coelitis quo feriente cadit.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,

Semper agatne rogat, nec nisi iussus agit.

Pars quia non ueniant pecudes, sed agantur, ab actu [p.726]

Nomen Agonalem credit habere diem.

Vel quia praeuisos in aqua timet hostia cultros,

A pecoris lux est ipsa notata metu.

hoc est, ἀπὸ τῆς ἀγωνίας. Varro quoque ab hac uoce Agon dictos ait dies Agonales. Succinctos etiam hos ait. unde et Agonalia, quae statuae feriae fuerunt, quibus Iano V. Id. Ianuarii aries mactabatur. Sane Agonia, quae et Agonalia dicta fuere, sacrificia fuerunt, quae in Agonibus, id est montibus fiebant. Agonus mons Quirinalis, et porta Agonensis, porta Collina: Pompeius auctor. Varro a Saliis dici ait Agonia, qui Agonenses dicerentur. Agonia quidem priora Ianuario mense fiebant, altera uero Aprili, ut ostendimus in Fastis. Porro et Agonius deus, praeses rebus agendis fuit, ut Festus docet. Sed quod uictimarii succincti dicantur, praeter iam dicta et Propertius innuit, cum ait,

Succinctique calent ad noua sacra popae.

Suetonius in Caligula: Astante, inquit, Caligula unus poparum. Aelius Spartianus: Percussit hostiam popa, nomine Antonius. Transiuit et nomen hoc, ut sacerdos quoque, in nomen proprium. M. Cicero in oratione pro Milone, Licinii Popae meminit. haec et in antiquitatibus uidi, eiusmodi popas uictimarios succinctos: inter quos his diebus, unum peruetustum ex aere, quem e ruinis prope uiam Flaminiam effossum ostendit mihi Franciscus Fantinus, nostrae ciuitatis Canonicus. Apud Delphos Hosioter is

dicebatur, qui hostiam immolaret, ut Plutarchus scribit. Quinque autem Hosioteres sacri erant, et cum prophetis multa agebant, et simul sacris operabantur, seque ex Deucalionis genere orto arbitrabantur. Nicolaus Damascenus in gentium Synagoga, quod et Stobaeus repetit in Sermone de iustitia: In Paedaliis, inquit, gente Indica, non qui sacerdos esset, sed qui in praesentia haberetur prudentissimus hostiam mactabat: nec a deis nisi iustitiam rogabat. Sed redeo ad institutum. Interim caesa uictima alii uasa, ut cruorem exciperent, cadenti hostiae supponebant, quae propriae σφάγεια dicebantur graece: alii uictimam decoriabant, aliaque peragebant. mox aruspex, flamen, aut sacerdos cultro ferreo uiscera et exta rimabatur, et extispicium fiebat, hoc est, per exta deos consulebat, et an perlitatum esset attente explorabat, et tunc exta reddi dicebantur, cum probata arae supponebantur, ut notat Seruius. Vergilius secundo Georgicon,

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Sunt autem exta, quae numero plurimum tantum dicuntur, licet et extum legatur apud auctores, Celsum et Plinium quae in uictimis interiora extant, ut cor, pulmo, lien, et iecur, quoniam super interiora intestina extent. Plinius uno nomine praecordia dici exta, libro trigesimo [p.727] Naturalis historiae dixit. Festus: Extia (ait) dicta, quod ea deis prosecuntur, quae maxime extant, emineantque. Ab extis diuinationem etiam M. Cicero libro secundo de Natura deorum factam fuisse ostendit. Idem et in primo de diuinatione. hinc uocati extispices, diuinatores per exta, ac sacerdotes. Idem Cicero secundo de Diuinatione Artificiosa diuinationis illa fere genere ponebas extispicium. Nonius Marcellus Varronem citat: et licet pleraeque nationes extispice et aruspice uterentur, apud Galatas tamen non aruspex, sed philosophus aderat, sine quo apud eos sacrum non fiebat. Lusitani, ut scribit Strabo in tertio, exta inspectantes, nihil concidebant, ex lateribus fibras prospiciebant, et contrectantes uentura coniectabant: ex intestinis quoque hominum maxime captiuorum diuinationes captare solebant, sagis uelantes. inde ubi plaga infligebatur, ab intestinis sub aruspice primum ad hominis casum uaticinabantur. Veteres quoque Graeci hoedorum, agnorum, uitulorumque inspectis intestinis, futura praedicabant. et hoc quidem Pausanias. Cyprii

etiam ex suum intestinis et extis ariolabantur: solus Thrasyllus canum extis uaticinabatur, quod ex eius simulachro, quod in Olympia fuit, colligebatur, ad cuius humerum dextrum obrepere uidebatur mustelus, et canis hostia bifariam sectus, iecurque ostendens penes ipsum iacebat. Obseruabant et flammam aruspices, quae ex crematis uictimis edebatur, ut scribit Didymus. Item bilem, quomodo humorem eiacularetur. Vesicam praeterea, ore lana colligato igni imponebant: et quo illa pacto disrumperetur, et quam in partem lotium fudisset, adnotare consueuere. Colligebantur porro et ex hostiarum cruda, uaticinia. nam igni inflexa difficultatem rei indicabat, uel belli: extensa et deorsum corruens, cladem futuram. Si uero in altum erecta fuisset, uictoriae indicia prae se ferebat. Scribit Lactantius in quinto Thebaidos commentario super ea uerba,

Et in nullis spirat deus integer extis,

Fuit, inquit, quoddam in extis signum, quod Deus appellabatur: quod si integrum apparuisset, propitium numen ostendebat: sin uero dimidium, iratum significabat numen, aut certe non praesens. haec autem Profecta exta dicebantur, ut idem ait Lactantius, cum reddebantur inspecta. uerbo sacrificantium usus est poeta: particulae enim minutae membrorum omnium prosecta dicuntur in sacris, quae inferuntur aris. Lucanus:

Si pectora pleno

Saepe dedi, laui calido prosecta cerebro.

Statius,

Vbi aduerso dederat prosecta donanti.

Nonius uero ait: Prosecta, exta quae aris dabantur, ex fibris pecudum dissecta. Licinius Macer in Ornithogonia, [p.728]

Vulgari tosta uapore,

Cum uirgis prosecta ferunt.

Valerius Flaccus tertio Argonauticon,

Tunc piceae mactantur oues, prosectaque partim

Pectora per medios, partim gerit obuius Idmon.

Hae quidem sacrificiorum particulae uidentur etiam praesiciae, a praesecando dici. De quibus Arnobius libro septimo, ridens antiquorum superstitiosa sacrificia, his uerbis agit: Quod si omnes has partes, quas praesicias dicitis, accipere dei amant, suntque illis gratiae, uel uoluptatis alicuius, uel dulcedinis sensu, etc. Sed praestat hoc loco pleraque eiusmodi nomina usurpata in gentium sacris semel

commemorare, quae idem Arnobius his uerbis colligit. nam cum de totis et integris uictimis egisset, ridens: Quid, inquit, sibi reliqua haec uolunt, Magorum cohaerentia disciplinis, quae in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, et rebus inseruere diuinis? Quid, inquam, sibi haec uolunt, Apexabo, issicia, silicernia, longauo, quae sunt nomina et farciminum genera, hircino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? quid taedae, quid naeniae, quid offae? non ulgi, sed quibus est nomen appellatioque penitae: ex quibus quod primum est, in exiguas aruina est miculas, at illa minutim insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio, per quam proluuies editur, succis perexiccata uitalibus? offa autem penita est, cum particula uisceris cauda pecoris amputata. quid polimnia, quid omenta, quid palasea, siue ut quidam cognominant, plasea? ex quibus est nomen omenti pars quaedam, quo receptacula uentrium circumretita finiuntur. Vobis cauda est, plasea siligine et sanguine delibuta. Polimnia porro sunt ea, quae nos proles uerecundius dicimus, a uulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid africa, quid gratilla, catumeum, conspolium, cucubula? ex quibus duo quae prima sunt, pultium nomina, sed genere et qualitate diuersa: series uero quae sequitur, liborum significantias continet. Et ipsis non est una, eademque formatio: non enim placet carnem strebulam nominare, quae taurorum e coxendicibus demitur, pulpamenta non assa, quae in ueribus exta sunt, animata prius et torrefacta carbonibus: non salsamina denique, quae sunt una commixtio, quadrimis copulata de frugibus: non similiter fendicas, quae et ipsae sunt dirae, quas plebis oratio illa solet, cum eloquitur, nuncupare: non ratione eadem erumnas, quae sunt prima in gurgulionibus capita, quae deiicere cibos et referre naturae struminatoribus. saeculis, non magmenta, non augmina, non mille species uelamen sanguinum, uel fitillarum, quibus nomina indidistis obscura, uulgoque [p.729] ut essent augustiora fecistis. Idem paulo post: Quae causa, quae ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, cauda, et plasea separatim, irae solae, nomenque solum augmentorum adiiciatur in causam? Tum subiungit exclamans: O deorum magnitudo mirabilis. o nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis: siquidem, ut prosint, testiculis

pecudum redimuntur, et rumis: neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint naenias, offasque redemptas. hactenus ex Arnobio. Ad reliqua sacrorum redeo. Sane ars aruspicina hoc etiam habebat, ut et thuris motus, et crepitus, et fumi agitatio et flexus, aruspex ipse colligeret: quoniam haec primum signa aut testabantur extorum promissis, si bona fuissent: aut si contra, refringebantur, ut testatur liber de Thuris signis. haec Lactantius in quarto Thebaidos. Illud etiam obseruandum, quod pluribus contendit Arnobius, thus in sacris non esse rem uetustam, sed nouellam. nam neque, ait, temporibus (ut perhibetur) heroicis quidnam esset thus scitum est, neque genitrix et mater superstitionis Hetruria opinionem eius nouit, aut famam. Mox neque Romulum nouisse, neque Numam, ostendit: quod ex Apuleio ipse etiam alibi docui. Extis porro inspectis, ex omni uiscere et membro primitias partesque desectas farina farris inuoluere, et in calathis sacrificanti offerebant: et tunc hostia perfecta dicebatur. Has sacerdos aris imponens accensis, igne comburebat. hoc enim in omni sacrificio seruabatur, ut de singulis oblati, aut deo immolatis particulas tanquam libamina adolerent: in ignem mittebant, addito igni thure et costo, aliisque odoramentis, prout sacrum ferebat, et ritus. Illud etiam notauimus, quod in maritimis sacrificiis exta in fluctus iactabantur. unde illud,

Porricit in fluctus.

Silius in XVII.,

Cui numen pelagi placauerat hostia taurus,  
Lactaque caeruleis innabant fluctibus exta.

Sane exta ueru assa apponebantur. At uero arietis, non ueru cocta, sed elixa in olla apponebantur, alias ritu praepostero sacrum peractum censebatur. Varro de Lingua latina: Haec sunt, ait, quorum in sacrificiis exta in ueru coquantur, quas et Actius scribit, et in Pontificiis libris uidemus. Scribit Arnobius in secundo, ubi de caerimoniarum mutatione agit. Cum, inquit, Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida cremarentur deis exta, nonne rege sub Tullo semicruda caepistis, et leuiter cremata porricere prisca obseruatione contempta? tantum Arnobius. At uero in hostiis eam dicabant Aruigem, quae cornua habeat: quoniam is cui oui mari testiculi dempti, et ideo ut natura uersa uerue declinatur: sed etiam coxas cum inguinibus cnissa, quam et

cnissarion dicebant, id est adipe operientes [p.730] comburebant. κνίσσα enim proprie in sacrificiis nidor, euaporatio et aruina dicitur. Hinc Lucianus de Sacreficiis, ἀναφερομένην κνίσσαν, id est insurgentem nidorem, uel ascendentem dixit: quod et κνισσάριον uocatur. censebatur enim haec pars preciosa praecipue, et propter incessum, et quia inde semen genitale deducitur. Sic uictimarum quidem uiscera, licet nunquam abluta, elixa per sese fiebant: uinumque aris postea fundebatur, et tunc Porrici hostia dicebatur, de quo uerbo in sacris usurpato Macrobius in Saturnaliis. Ex quo manauit illud, Inter caesa et porrecta. M. Tullius ad Atticum: Ne quid, inquit, inter caesa et porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis. meminit et Varro de Lingua latina et ego de Annis mensibus, etc. et Erasmus in prouerbiis. Ex reliquis autem hostiae partibus seu membris coenam apparabant, quibus qui sacris interfuissent, uesci licebat. De quibus ex legis praescripto ad domesticos portuunculam afferre, et impartiri fas fuit: extraneos adhibere nefas fuit, id quod et Hebraeis praeceptum erat. Vescebantur uero stantes cum panibus rotundis, in deorum honore adhibitibus. nam in sacris aedibus simul epulari et sacrum fieri obseruatum est: mensae enim in templis ararum uicem praebebant. Sed quoniam nisi peracto sacrificio eo uesci licebat, illud ideo prouerbio iactatum est, Haud immolata sacra saepe deuorat: in intemperantes, et uentri deditos. quales apud Hebraeos fuere Heli filii, quorum nota est historia. At Aegyptii sacerdotes immolata uictima caput abscindebant, illudque diris et carminibus execrati, in flumen deiiciebant, cum solenni precatone, ut si quid aduersi eis immineret, in caput illud redundaret. Sed plenius de omni hoc sacrificandi ritu Aegyptiorum paulo post agam. Apud Graecos ex caesa uictima nonnunquam, capite et uentre excepto, caetera dabantur deis, lingua uero praeconibus. Deis, qui iucundi ab aliquibus, ab aliis placidi et mites latine nuncupati sunt, a graecis θεοὶ μελίχιοι, sacra nocturna fieri solebant apud Myoneam urbem in montis excelsi uertice, in quibus omnes hostiarum carnes ante solis exortum absumi oportebat. Nunc et ex qua materia in sacris ignis faciendus esset, aliquid dicendum est. Nam et in hoc religiosam uetustatem fuisse uidemus. In sacris ignem ex olea, lauro, uel crassioris corticis quercu, aut cuius caudex cauus fungosusque foret,

accendere, uel adolere nefas fuit. Haec etenim ligna ominosa sunt, et detestata: quem ignem in sacris subdita face accendebant, eum partim ex fumo quos globos uolueret, quantumue se attolleret, ut paulo ante dicebam: partim ex flamma, si lucidior, aut obtusior, et qua specie foret, ii qui Capnomantes dicebantur, plerunque obseruabant. superstitiosum id quidem. Si [p.731] autem extincto et mortuo carbone sacrificaretur, neglectae religionis signum, et perniciosum putabatur. Persis ligna arida dempto cortice sacrificio apponere mos fuit, oleumque superfundere, et pinguem aruinam. Et hoc locupletius, ubi de Persarum instituto seorsum agam. Elienses alba populo in sacris Iouis semper usi fuere, ex quo Hercules Ioui sacrificanti eam attulit. apud Siculos in colle Vulcanio iuxta stagnum, dum sacrum fieret, sarmentorum fasces super aras sua sponte ignem concepisse, et nullo flante anhelitu incendium fecisse fabulati sunt. sicut de Seleuco proditum est, qui cum Ioui in Pella uictimam immolaret, ligna aris imposita ultro arserunt: et de Egnatia nympa inter nymphas iam rettuli. Seruius in XII. Aeneidos super ea poetae uerba,

Qui foedera fulmine sancit.

post alia, Certe (inquit) quia apud maiores arae non incendebantur, sed ignem diuinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria. Vt minus mirum sit, quod de Ioue Elicio legimus. Sane et ad facienda foedera, ut Seruius idem docet, aqua et ignis adhibebantur. Vnde et contra, quos arcere uolebant a consortio, eis aqua et igni interdiceri solebant: id est rebus, quibus consortia copulabantur. Sed et in captandis auguriis sacerdotes prius et aruspices, qui nunc (inquit Plutarchus in Problematis) augures, luminaria semper aperta habere uoluerunt, nec operculo imposito claudi. rationem pluribus ille et causam affert. Apud Scythas uero, cum sacrum Marti fieret, hostiarum carnes ossibus ipsarum adurebantur. Lusitani ignitis lapidibus sacrificiorum carnes coquere solebant: iidem ex immolata hostia, ut paulo ante dixi, nihil concidebant, sed extis tantummodo perspectis, uaticinabantur. Iasides licet ex omni incenderent aras, spinas tamen asparagi, aut stramina in sacris cremare nefas habebant. Thisetae, et Argyni, ossa uictimae tantum in ignem mittebant, et deflagrabant, ipsi carnibus uescebantur. Sane solebant partes de immolatis uictimis dare praesentibus, et

absentibus mittere, quae μέριδες a Graecis dicebantur, et Missa interdum a Latinis. Strobula, inquit Festus, Vmbrorum lingua appellabantur partes carniū sacrificatarum. Non hoc loco reticuerim, quod est ab Isidoro proditum libro XI. Sacra spina est, inquit, una pars spinae, quam graeci ὀστονιερόν uocant, id est os sacrum, quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque et hostia id primum deis suis dabatur, unde et sacra spina dicitur. haec ille. Apud Lacedaemonios in publica uisceratione primi Reges fuere, quibus duplum quam caeteris dabatur, priuilegioque honoris praeter libamina immolatorum quoque animalium coria. Delphis id moris fuit, ut immolantes uictimas, exclusis caeteris, uescerentur, ad [p.732] quam extraneos admittere nefas erat: contra in sacris Hecates, qui sacrum fecerat, de sacrificio uesci non licebat, quod et Plutarchus in Symposiacis testatur. De coena quae huic deae in triuiis apponebatur a gentibus, suo loco, hoc est in Hecate plane scripsi. In epulo Iouis, quod in Capitolio septemuiri Epulonum celebrabant, Iupiter in lectulum, Iuno et Minerua in sellas ad coenam inuitabantur: ex quo illud colligit Valerius Maximus, quod uiri antiquitus in lectulis duntaxat, mulieres uero in sellis discumberent. Porro inter uescendum uictimarum carnes, laudes deis canere tam Latini quam Graeci solebant, his quibus sacrificium factum fuisset, quod apud Vergilium de Hercule diligenter obseruatum uidemus. nam et psallere in numerum, et hymnos canere, chorumque agere apud auctores ueteres consueuisse annotamus: tum etiam saltantes a laeua dextrorsum, mox a dextera laeuorsum choream ducebant. Erant et diuersa hymnorum genera, de quibus in primo de Poetica et poetarum historia Dialogo pluribus aegimus, quae hic non est ut repetamus: illic enim et graecis et latinis scriptoribus recensuimus. Scribit Plutarchus, suo tempore Romanos peractis uotis deos deuenerari, et in templis sedere ac permanere consueuisse. Re demum diuina, et caerimoniis peractis, sacerdos I LICET proclamabat, quasi eos diceret iam abire licere, qui sacris interfuissent. Graecis uero et Aegyptiis id concinebatur, quod Apuleius ostendit in sua Metamorphosi, λαοῖς ἄφεσις, hoc est populis missio. unde et nostri, Missam hostiam esse concinunt. Atque hactenus quidem de sacrificiis in uniuersum.

## DE INFERORVM SACRIFICIIS.

CAETERUM hac parte huius Syntagmatis de Inferiorum uictimis ac sacrificiis agere proposui, tametsi in nostro de Sepulchralibus et uario sepeliendi ritu pleraque sum complexus: Operis tamen ratio requirit, ne eam hoc loco intactam relinquamus. atque ab hoc exordiar: Antiquorum fuisse sententiam, uiuos superiorum deorum esse, mortuos ad deos Inferos pertinere. iuxta quam opinionem locutus est Poeta libro undecimo Aeneidos,

Nos iuuenem et animem, et nil iam coelestibus ullis

Debentem, uano moesti comitamur honore.

Et idem in XII.,

Vos o mihi manes

Este boni, quoniam superis auersa uoluntas.

Superis siquidem omnia deberi putabant antiqui, donec uiuerent: ideo, [p.733] quia (ut dicunt physici) cum homo nascitur, sortitur a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Ioue desiderium, a Venere cupiditatem, a Saturno humorem, quae omnia singulis extinctos reddere existimabant. At nos haec mittamus, qui Deo tantum debemus quicquid sumus: rideamusque has sapientium ineptias, et uanam religionem. Romanis consuetudo fuit, ut polluti funere, non sacrificarent superis. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore et funestaretur quis, et cogeretur dare operam sacrificiis, laborabat ille, ut ante sacra compleret, quam funus agnosceret. Vnde et Horatius Puluillus in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis filius extinctus nunciaretur, ait, Cadauer sit: nec uoluit funus agnoscere, donec templum dicasset, ne sacrum intermitteret. Iuxta quem morem et alias habemus historias. Sed et poeta Maro ita Aeneam inducit,

Aeneas, inquit, quanquam sociis dare tempus humandis

Praecipitant curae, turbataque funere mens est,

Vota deum primo uictor soluebat eoo.

Quin etiam qui de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse uoluerunt. Vnde cum pontificibus nefas esset cadauer uidere, magis tamen nefas fuit, si uisum insepultum reliquissent. Vnde etiam genus sepulturae fuit, pulueris uel glebae iniectio, ut in Sepulchralibus copiose rettuli. Verumenimvero iam sacra defunctorum

instituta exponere exordiar. Scribunt interpretes Apollonii in primo Argonauticon, cum sepulchrum Dolopis Mercurii filii interpretantur, quod mortuis in occasu solis iusta peragebant, coelestibus uero in solis ortu: Entomaque mortuis iugulari, quibus capita amputarentur. alii ἔντομα dicunt, quod quae generare non poterant, mortuis ac inferis dicarentur: ueluti deis coelestibus, quae essent cum testiculis et coleata: hoc est, ἄγωνα τοῖς ἀγόνοις, ἔνορχα δὲ τοῖς οὐρανίοις. Itaque uictimarum capita statuebant, ut ea in terram conuersa haberent. Sed iam par est, ut sacrum deis infernis apponam, quod a peritissimo sacrarum caerimoniarum uate libro sexto Aeneidos descriptum est. ita enim ille:

Quattuor hic primum nigrantes terga iuuenocos

Constituit, frontique inuergit uina sacerdos,

Et summas carpens media inter cornua setas,

Ignibus imponit sacris libamina, prima

Voce uocans Hecaten, coeloque hereboque potentem:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem

Suscipiunt pateris: ipse atri uelleris agnam

Aeneas matri Emenidum, magnaue sorori [p.734]

Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina uaccam:

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,

Et solida imponit taurorum uiscera flammis,

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Atque haec quidem poeta, in quibus illud in primis obsuerandum uidetur, ipsum poetam usum esse summo artificio et uerborum proprietate. primum atri coloris iuuenocos, tum uina inuergit ex ritu sacrorum: quippe fundo, uergo, et inuergo, uerba in sacris fuerunt. de quibus sic obseruant periti, ut Fundere, sit supina manu libare, ut in quarto Aeneidos,

Media inter cornua fundit,

quod fiebat in sacris superum: Vergere uero, seu Inuergere, est conuersa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera conuerteretur: quod in infernis fiebat, qua infusione si uictima non stupisset, aperte probabatur. Staius libro sexto Thebaidos,

Spumantesque mero paterae uerguntur, et atri

Sanguinis, et rapti gratissima cymbia lactis.

Tum et illud etiam notandum, ex caerimoniarum instituto, quod ait, et summas setas inter uictimae cornua carpsit, et igni

imposuit: quod etiam ante annotavi. Illud quoque non praetereundum, quod ait, Voce uocans Hecaten: quod proprie dictum est uoce, non uerbo, et quibusdam mysticis sonis. nam in huiusmodi sacris uarie nomina inuocabantur, quod aperte Lucanus expressit: ut,

Latratus habet illa canum, gemitusque luporum,

Quod strident, ululantque ferae, quod sibilat anguis,

Exprimit et planctus, fractaeque tonitrua nubis:

Tot rerum uox una fuit.

Sed et illud non simpliciter a Vergilio dictum, Supponunt cultros alii: ex eadem disciplina prolatum est. nam dum uictimas caederent, secespitam, id est cultrum superponebant. sicut et illud, Inchoat aras: quod, ut Seruius ait, uerbum sacrorum fuit, et perficere denotabat.

Sane in fine sacrorum illud etiam dicere alta uoce solebant, SALVE AETERNVM, VALE AETERNVM. quod et poeta Vergilius in Pallantis funere Aeneam protulisse ait,

Salue aeternum mihi maxime Palla,  
Aeternumque uale.

De quibus uerbis Varro in Logistoricis ait, ideo mortuis Salue et Vale dici, non quod ualere, aut salui esse possint: sed quod ab iis recedimus, eos amplius nunquam uisuri. Hinc etiam ortum ait Seruius, ut etiam maledicti significationem interdum Vale obtineant. ut Terentius, Valeant qui inter nos dissidium uolunt: hoc est, [p.735] ita a nobis discedant, ut nunquam ad nostrum reuertantur aspectum. Ergo ea ratione Vale mortuis dicebatur, quasi a nobis recedentibus. Porro et Statius libro V. Thebaidos Archemori exequias describit, qui item in quarto Tiresiam inducit ferale sacrum facere. ita enim canit:

Tum fera caeruleis intexit cornua sertis,

Ipsa manu tractans, notaeque in limine syluae.

Principio largos nouies tellure cauata,

Inclinat Bacchi latices, et munera uerni

Lactis, et Actaeos hymbres, suadumque cruorem,

Manibus aggeritur, quantum bibit arida tellus.

Trunca de hinc nemora aduoluit, moestusque sacerdos

Treis Hecatae, totidemque satis Acheronte nefasto

Virginibus iubet esse focos. tibi rector Auerni,

Quanquam infossus humo, superat tamen agger in aruis

Pineus, hunc iuxta cumulo minor ara profundae

Erigitur Cereri, frondes atque omne cupressus

Intexit plorata latus, tamque ardua ferro

Signati capita, et frugum libamine puro

In uulnus cecidere greges.

Quo loco Lactantius quaedam his sacris conuenientia, quae ipse missa facio. Item quae Silius Italicus libro XIII. Punicorum, ubi Scipionem inducit similiter patri apud Auernum huiusmodi ferale sacrum peragere, Autonoe Grynea phoebade monente. Ita enim canit, ne Graecos nunc inculcem:

Inducit iuuenem, ferroque cauare refossam

Ocyus urget humum, atque arcanum murmur anhelans,

Ordine mactari pecudes iubet. acer operto

Ante omnes taurus regi: tum proxima diuae

Caeditur Enneae casta ceruice iuuenca.

Inde tibi Aleto, tibi nunquam laeta Megaera Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,

Fundunt mella super, Bacchique et lactis honorem. sed iam ad alia, quae dicenda restant, properemus.

Romae in campo Martio Terenti locus fuit, ubi Ditis et Proserpinae ara fuit. locum quidam dictum uolunt, quod ibi Tiberis tereret. Quin et ideo Tiberim ipsum Rumonem et Serram uocatum fuisse ait Seruius, quasi ripas ruminans et exedens. Et in aliqua etiam urbis parte Tereotus dictus, eo quod ripas terat. In hoc ergo loco [p.736] Inferis deis sacra fiebant, et ludi a loco denominati Terentini instituti, de quibus plura scripsi in nostro de Annis et mensibus. cum enim multa portenta fierent, et murus et turris qui erant inter portam Collinam et Exquilinam, uel ut alii dicunt Gabiusam, de coelo tacta essent, ideoque decemuiri Sibyllinos libros adiissent, et renunciatum esset, ut Diti patri et Proserpinae ludi Terentini tribus noctibus in campo Martio fierent, et hostiae furuae immolarentur: Terentus, inquit Festus, locus fuit in campo Martio, quo in loco ara Ditis in terra occultabatur. hinc et ludi Terentini. Ausonius poeta,

Trina Terentino celebrata a trinocia ludo.

Stadius Papinius in Syluis,

Aut instaurati peccauerit Terenti.

De hac etiam ara Valerius Maximus et Censorinus, et alii. ad hanc ter annis singulis accessum placandis Manibus patere, idque ideo mundum patere dicebatur, post scilicet Vulcanalia, et mense octobri et nouembri: quod fuit tertio Kal. Sept. et quarto Non. Oct., et tertio Idus Nouemb. id quod etiam ex Festo alibi recitauit. Cum autem in Italia humanis capitibus prius Ditem placarent, mox ab Hercule moniti hominum simulachra uictimis dederunt. Obseruatum quoque fuit, ut sterilibus iuuenis et pecudibus, ac uino et melle, lacte et sanguine Diti sacra fierent. tametsi in inferiis uina Numae lege libare uetitum fuerit aliquando, iuxta illud, *Vinorum ne respergito*: Et aras quidem Inferorum, quae plerunque geminae fuerunt et pares, quas nigris uittis aut caeruleis ornabant, et cupresso: cumque pecudes immolarent, spirantem cruorem in effossam terram mittere solebant, et uinum et lac et mel una infundebant, seu potius (ut dictum est) inuergebant, uisceraque caesae uictimae ter circum aras ducebant, igne accenso. Hoc piaculari sacro inferos euocari arbitrabantur. Inualuerat etiam mos, ut infernis deis sacra facturi pares uictimas, easque sinistra immolarent: et cum manes expiandi essent, pocula libarent, aut in sepulchrum conuersa manu inuengerent. In his sacris litasse, piaculum fuit. Nigras, ut dictum est, hostias immolabant, et uina spargebant: quin etiam et uasa in ignem immittere solebant, et uiscera igni imposita oleo conspergebant, ut facilius cremarentur. Nam cum Diti sacra exhibebant, omnia simul in eis absumi et perdere uolebant. Ligna e sepulchris eruta atro igni apponebant. Neque oriente luce ac sole, ut deis superis, sed uel noctu, uel post meridiem, decrescente die, hostiam mactare fas fuit, capite eius ita constituto, ut terram, non coelum spectaret, quod et iam ante dictum est. Nec in huiusmodi inferorum sacris corpus abluerat, qui sacrum peragebat: sed lotionem [p.737] omissa, ramo tantummodo leuiter inspergebatur. Est Fabii Seruiliani Pontificis Maximi disciplina traditum, ut atro die manibus parentare non liceret, ne infesti Manes fierent: quia atro die nec Ianum, nec Vestam praefari licebat. Fuit etiam illud parentationis genus a pontificibus sancitum, quod fuit per iniectionem pulueris, aut glebae, quo cadauer inhumatum expiabitur: qua de re supra, et in Sepulchralibus abunde.

quo loco et de Libitina et libitinariis, deque Epitymbia Venere, omnique sepeliendi ritu scripsimus: quae inde, si uacat, repetenda sunt. Fuerunt et apud Romanos defunctorum piamina, Februa appellata, quod Sabinorum lingua februum purgamentum significaret: uel, ut alii uolunt, a feruore, quoniam adolendo et flammis feruentibus fierent. Unde et Februarius mensis, de quo abunde dixi in libro de Annis mensibus, etc. eo enim mense populus februebatur, id est purgabatur. per XII enim dies februa celebrabantur: hisque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis sacrificiisque circa sepulchra accensis facibus caereisque intentus erat. haec Festus. Fuit et antiquis silicernium, ut Donatus scribit. Coena et deis manibus inferebatur. uel quod eam silentes cernant umbrae, id est umbrae possideant: uel quod qui inferunt, cernant, sed non degustent. nam de his quae libantur inferis, quisquis ederit, uel biberit, funestabatur: aliter licet Festus et Nonius tradant. hic quidem, funebre conuiuium silicernium ait: ille, farciminis genus, quo funesta familia purgabatur. Silicernii meminit Terentius, Cecilius, et Varro. Legimus apud Eleos, Plutonis templum fuisse, quod semel tantum patefieri solebat: et quamuis pateret, nulli tamen introire licebat. Sicyonii quoque semel quotannis Eumenidum, prope Asopum fluuium, diem et sacrum peragebant.

Ad haec et Graecis id moris fuit, ut paucis a morte diebus feralia sacra impenderent. idque obseruatum, ut corpore reliquo cremato, plerunque digitum, membrumue, aut capillos seponerent, quibus tanquam cadaueri iusta persoluerent, ac parentarent. Fuit et ἔγκνισμα apud Argiuos sacrificii genus, quod defunctis exhibebatur. nam cum aliquis cognatorum, aut familiarum defunctus fuisset, statim post luctum Apollini sacrificabant: post uero trigesimum diem Mercurio. mortuorum enim corpora ut a Tellure, sic animas a Mercurio suscipi putabant. Apollinis autem sacerdoti hordeum dantes, carnem pro eodem accipiebant, ignemque quasi pollutum extinguentes, et rursus accedentes, carnem coquebant: quod sacrum Encnisma appellabant. Plutarchus auctor in Problematis. Philostratus in heroicis, in Neptolemo sacrum et inferias scribit, quas Thessali ad Achillis sepulchrum peragebant: quas ut legas moneo. [p.738] Ego, ne in immensum crescat Opus,

huiusmodi multa praetereo, et praecipue ex poetis, Homero, Apollonio, aliis. Porro uaria ac diuersa parentationum genera apud diuersas nationes fuere, ut copiose ostendi in Sepulchralibus. Hic addam, quae in illo nos tum praeteriere. Plataeenses manibus peremptorum ciuium dabant inferias, praecedente tibicine, uehicula lauro et myrto fusca cum coronis sequebantur, tum lactis uini et olei libationes succedebant. mox Princeps indutus purpuram, seruis eiectis, taurum ante pyram immolabat: Iouemque ac Mercurium deueneratus, eorum matres qui pro patria occubuissent, ad coenae epulas conuocabat, cratere libans uinum, idque se defunctorum Manibus propinare affirmabat, atque ita apud eos fiebat expiatio. Longior sim, si in persoluendis inferiis funerum propria cuiusque nationis aut gentis instituta, caerimoniasque persequi uelim. Lemuria, quae ab aliquibus Lemuralia dicuntur, Romani deis inferis instituerunt, ad placandos in primis Remi manes. Vnde et quidam Lemuria, quasi Remuria dicta putauere, ut ait Porphyrio. Sed ipse de Lemuribus in Daemonum Syntagmate disserui. Nunc id tantum addam, quod dum celebrabant inferiae, deorum aedes clausae iacebant. In Lemuralibus quidem fabam noctu iacere solebant, Lemures se ex domo eiicere clamantes: quam tamen fabam nigram esse oportebat, ipsamque lotis manibus et pede nudo per ora uersare, et post terga reicere, aerisque tinnitum facere, utque Lemures fabis redempti domo abirent, nouies orare: ideo Maio mense tribus noctibus fieri. donec solutis religione animis, Manes expiatos ducerent. In parentalibus assumere fabas, usus obtinuit: sicut in peruigiliis cicer, et ad ferales coenas, lentesque et offas ad sepulchra illorum ferre, quibus parentare ius erat, quae et feralia a ferendis epulis dicta putantur, ut ait Festus: seu a ferendis pecudibus, quas in defunctorum sepulchris super nuda silice apponebant. in his coenis praeter legumina et apium quoque apponi solitum obseruauit, quod contra ebrietatem facere existimetur. Ouidius certe ostendit sacra feralia et parentalia non multum preciosa requirere. ita enim ait:

Est honor et tumulis animas placare paternas  
Paruaque in extractas munera ferre  
pyras.

Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata  
est

Munere, non auidos Styx habet ima  
deos.

Tegula porrectis satis est uallata coronis,  
Et sparsae fruges, paruaque mica salis.  
Inque mero mollita Ceres, uiolaeque solutae,  
Haec habeat media testa relicta uia.

Et idem mox: [p.739]

Hanc quia iusta ferunt dixere Feralia lucem,  
Vltima placandis Manibus illa dies.

Sed quoniam feralia prima breui loco effertur, ego piacularare posui eo libentius, quod bene doctus amicus asseruit codicem se uidisse, qui ita habet. Praeterea in funeralibus libatio duabus rebus expediebatur, ut scribunt Lactantius et Seruius. unde Vergilius ait,

Duo lacte nouo, duo sanguine sacro:

quod alterum eorum alimonium sit uitae retinendae, alterum uirium continendarum, quia uita hominum his rebus uiuatur. eamque propterea sepulturae commendare solebant, ut societate parta curationis lucis amissae posteritas defectionis honoretur. Vnde et flores sparguntur in honorem mortuorum. Vergilius,

Purpureos spargam flores.

Quin et defunctorum umbris, coronis, frugibus sparsis, micis salis, uino, uiolis, et floribus, ut etiam Ouidius in Fastis testatur: sed et epulis, ut dictum est.

His a me sic expositis, uideor operae precium facturum, si seorsum aliqua ascripsero, ut quam uariae fuerint et diuersae gentium caerimoniae in suis placandis et adorandis numinibus, intelligas. Atque ab Aegyptiis exordiar: de nostris enim, id est Christianorum, et de Hebraeorum sacrificiis, a principio libri sum professus, me nihil nisi parergos allaturum.

Igitur Aegyptiorum mos fuit, antistitem in suis sacris Pontificem habere, apud quem reliqui sacerdotes initiarentur, non sigillatim cuique deorum quos Aegyptus colebat, sed simul et gregatim. primus uero eorum Pontifex dicebatur, quem penes summa fuit rerum sacrarum. is ubi defunctus erat, in demortui loco filius surrogabatur. id quod Hebraeis diuina lege praeceptum fuit. Aegyptii ergo sacerdotes, cum alias hostias, tum boues explorabant, an essent idonei ad sacrificia, qua lingua essent, quos pilos in cauda haberent, et alia insuper quaedam signa obseruabant, ut Herodotus scribit: quae si affuissent, et munda essent, cannabo alligabant cornua, et sphragitide terra sigillum imprimebant. aliis enim uictimis, nisi prius sic signatis, in re

diuina qui uterentur, poena capitis tenebantur. Talem uero sacrificandi ritum habebant. Pyra ante aram statuebatur, in qua immolata hostia adolebatur: dein libato uino supra pecudem contra templum deo inuocato, cui sacrum fiebat, et uictimae caput auferebant, illudque in forum deferebant. ubi si negotiatores externi, in primisque Graeci affuissent, illis uendebant: sin minus, in flumen abiiciebant. caputque ipsum his potissimum uerbis execrabantur: Si quid forte esset, quod uel sacrificantibus, uel Aegypto nociturum esset, ut id omne in caput ipsum conuerteretur. hic quidem mos Aegyptiorum fuit, hic [p.740] ritus, ut de capite sacrificatae uictimae ne ederent. Habebant et hoc instituti Aegyptii, ut ieiunarent, ut nostri et Hebraei, pridie celebritatis, aut festi, ἐν προεορτίῳ, ut graeci dicunt: et ubi obdormiissent, bouem immolabant, eamque corio exuebant, et tota aluo euacuabant, et expurgabant: intestina intra uentrem cum adipe relinquebant, crura truncabant, et extremos lumbos armosque ac ceruicem. his peractis, reliquum bouis corpus stipabant panibus puris, et melle, et uua passa, et ficis et thure, myrrhaque et aliis adoramentis. ubi haec fecissent, ac infersissent, adolebant: multumque olei et uini infundentes, ieiuni perseuerantes antequam rem diuinam facerent, dum adolebatur sacrificium, uerberabantur omnes (qua de uerberatione statim agam) postea epulabantur, et ex reliquiis dapes struebantur, proponebanturque. Sciendum tamen, Aegyptios nulla alia pecude sacra fecisse, praeterquam sue, boue, uacca, uitulo, et ansere. Flagellatio uero, seu uerberatio, quam Aegyptii facere post sacrificium soliti fuerant, ab Herodoto libro secundo his ferme uerbis describitur: In urbe, inquit, Busiri, quem diem festum Isidi agant, superius a me dictum est. Verberabantur enim post sacrificium cuncti, sane multa hominum milia: qua autem causa uerberentur, non est mihi fas dicere. haec Herodotus. Hoc ideo attuli, ut eam flagellationem agnoscas, quam hodie inter nos hi qui religiosi Monachi et confratres dicuntur, facere consueuerunt, Disciplinam appellant: et simul ut Xenophanis physici dictum illud melius intelligas, qui cum Aegyptios ita se uerberantes ac lugentes in suis his sacris uideret, dixit, Si deos hos esse creditis, quibus sacra facitis, quid lugetis? Sin autem eos homines putatis, quid eis rem diuinam facitis? Sed et alia quaequam de Aegyptiorum sacris

Plutarchus in libro Isidis et Osiridis affert, quo loco multa, cur lineis uestibus uterentur in sacris, cur ieiunarent, cur et sale abstinerent: ne quae Diodorus et Iamblichus scribunt, inculcem.

Agedum et quae de Persarum religione et deis proditum legimus, perstringamus. Persae nec statuas, nec aras erigebant, nec templa, ut alias dixi. sacrificabant uero in loco aliquo excelso, ut uidemus etiam Palaestinos fecisse: quod ex sacra Iudaeorum historia cognoscimus, et ut in Carmelo deo dictum est, ne hic multa congeram. Coelum Persae, ait Strabo, Iouem putabant: quem ut Herodotus et Origenes testantur, coeli circulum, uel gyrum uocabant, ut in Iouis Syntagmate ostendi. Solem colebant, quem Mithran nuncupabant: de quo quam multa tradantur, in Apolline est a nobis relatum. Colebant item Lunam, et Venerem, et Ignem, et Tellurem, et Ventos, et Aquam. sacrificabant inquam in loco aliquo excelso, et mundo, cum imprecationibus, coronatamque hostiam mactabant. cum uero Magus, [p.741] qui sacrificio praeerat, membratim carnes in singulos quosque diuisisset, abibant omnes, nulla deis parte relicta: nonnihil hac in re a Graecis et Hebraeis differentes, qui pro re et instituto aliquando totam uictimam adurebant, (quod nostri a Graecis holocaustum dicunt) et nonnunquam distribuebant, ut ostensum est. Sed illud ita Persae agebant, quod deos existimarent nihil praeterea uelle, praeter animae hostiam. Aliqui, ut docet Strabo, praecordiorum partem igni imponebant. Sedenim igni et aquae praesertim rem sacram faciebant: igni quidem, arida ligna imponentes cortice adempto, et aruina superiniecta, et adipe, deinde infuso oleo succendebant, nihil inspirantes, sed uentilantes: illud interea identidem repetentes, φαγέτω πὺρ κύριε. Quod si quis inspirasset, aut mortuum quicquam coenumue in sacrum ignem immisisset, morte plectebatur. tanta adeo ueneratione sacrum ignem prosequabantur. Aquae uero sacra hoc modo peragebant. ad lacum, uel flumen, uel fontem accedebant, et scrobem faciebant, ibique hostiam iugulabant, caentes ne quid proxime aquam sanguine contingeretur: ac si id accideret, omnia polluerentur. postea immolatis carnibus super myrto lauroque impositis, eas Magi uirgis subtilibus cremabant, et imprecationibus quibusdam factis, oleum lacte et melle mixtum

inspergebant, non in ignem, neque in aquam, sed super terram: imprecationes per multum tempus faciebant, fasciculum uirgarum tenuium ex myrica tenentes. atque hoc de Persarum institutis legi. Sedenim in Cappadocia, ubi maxima fuit magorum multitudo, qui ab igne Pyrethi uocabantur, et permulta Persarum deorum fana, non cultro, sed stipite quodam mactabant, tanquam malleo uerberantes. Fuerunt autem Pyrethia septa quaedam ingentia, in quorum medio ara erat, et in ea Magi cinerem multum et ignem inextinguibilem seruabant, quo quotidie ingressi imprecationes faciebant, per horam fere ante ignem, uirgarum fasciculum tenentes, et πάρας περικείμενοι πλωτάς, hoc est, ut Gregorius Tifernas est interpretatus, Filtraceis infulis uelati, ex utraque parte dependentibus, adeo ut uittae labra contegerent. haec in Anaitidis et Amani delubris fiebant. nam et horum ibi delubra fuerant: et Amani quidem statua in pompa deducebatur. Atque de his iam satis. Nec hoc loco mittemus sacra quae deae Syriae, seu illa Atergatis, seu Astarte, seu quaecunque alia illa fuerit, quae in Hieropoli urbe fiebant. Cum primum igitur uir quispiam illuc uenisset, caput et supercilia tondebat: mox ouem mactabat, et in frustra concidens conuiuabatur. Ouis uellus humi sternebat, et super eo genibus flexis procumbens, pedes et caput suo ipsius capite imponebat: et precibus petebat, ut sacrificium numini acceptum esset, seque eis in posterum maiora daturum pollicebatur. his [p.742] peractis, caput et sociorum coronabat, et proficiscebatur, toto itinere frigida lauans et bibens, humique cubans. neque lectum fas conscendere, donec iter perfectum esset. Qui autem ita peregrinantur, a certis in urbibus assignatis hospitium assumebant: qui doctores ab Assyriis uocabantur, quoniam omina et oracula illis interpretabantur. Addit et Lucianus alia quaedam sacra, et eorum ritus, quae ridenda potius quam referenda mihi uisa sunt. Tum et illud quoque, omnes compungi et inuri notis quibusdam, alios quidem in manus uolam, et in ceruice, alios stygmatis inustos, etc. quae multa Lucianus refert.

Quamuis in superioribus, dum sacrificandi ordinem in uniuersum descripsimus, de omni ferme Romanorum caerimonia pro uirili attigimus: nihilominus nunc quoque uisum est studiosis talium rerum conducere, seorsumque eadem prope petere, et omissa quaedam

addere. Incipiam uero ab hoc, quod in pontificum libris cautum fuisse legimus, quod et M. Tullio uisum fuit in libro secundo de Legibus repetere. hoc illud est: Ad diuos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amouento: qui secus faxit, Deus ipse uindex erit. Separatim nemo habessit deos, neue nouos: sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. Constructa a patribus delubra habento. Lucos in agris habento: et Larum sedes, ritus familiae patrumque seruanto. Diuos, et eos qui coelestes semper habiti, colunto: et ollos, quos in coelum merita uocauerint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum: ast olla, propter quae datur homini ascensus in coelum, mentem, uirtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunt: Nec ulla uitiorum sacra solennia obeunto, Feriis iurgia amouento, easque in famulis operibus patris habento, itaque, ut ita cadat, in annuis anfractibus descriptum esto. Certasque fruges, certasque baccas sacerdotes publice libanto. Hoc certis sacrificiis ac diebus, itemque alios addes. Vbertatem lactis foetusque seruanto: idque ne committi possit ad eam rationem, cursus annuos sacerdos finiunto: quaeque cuique diuo decorae grataeque sint hostiae, prouidento. Diisque aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunt. Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum. Quoque et priuatim, et publice modo, ritumque fiat, discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem genera sunt duo: unum quod praesit caerimoniis et sacris, alterum quod interpretetur fatidicorum et uatum effata incognita: cum Senatus populusque ascuerit, interpretes autem Iouis Optimi Maximi publici augures signis et auspiciis postea uidento, disciplinam tenento. Sacerdotes uineta uirgetaque, et salutem populi auguranto: Quique agent rem duelli, quique populare auspicium praemonento, [p.743] ollique obtemperanto: Diuorumque iras prouidento, ollique parento: Coelique fulgura regionibus ratis temperanto: urbemque et agros, et templa liberata et effata habento. Quaeque augur iniusta, nefasta, uitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunt. Quique non paruerit, capitale esto. Foederum, pacis, belli, induciarum, oratores, foeciales, iudices ne sunt. Bella, disceptatio, prodigia, portenta ad Hetruscos et aruspices, si senatus iusserit, deferunto: Hetruriaequae principes disciplinam

docento. Quibus diuis creuerit, procuranto: iidemque fulgura atque ostenta pianto. Nocturna mulierum sacrificia ne sunt, praeter olla quae pro populo rite fient: Neue initiant, nisi ut assolet, Cereri graeco sacro. Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum est: quod expiari poterit, publici sacerdotes expiant. Ludis publicis, quod sine curriculo, et sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto, eamque cum diuum honore iungunt. Ex patriis ritibus optima colunt, praeter Ideae matris famulos, eosque iustis diebus, ne quis stipem cogito. Sacrum, sacrou commendatum qui clepserit, rapseritque, patricida esto. Periurii poena diuina, exitium: humana, dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunt. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Sancte uota reddunt. Poena uiolati iuris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. Sacra priuata perpetua manent. Deorum Manium iura sancta sunt. Hos leto dato diuos habent. Sumptum in ollos, luctumque minuunt. Et hactenus ex Pontificum libris M. Cicero, ex quibus Romanae religionis et cultus summam percipimus. Nihilominus seorsum alia subiungemus. Scribit ita Lactantius in tertio Commentariorum in Thebaidem,

Primo inter, etc. Primo, inquit, est sanguine libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare. Dionysius uero Alicarnasseus in septimo Historiarum ita clarius: Post pompam, inquit, Consules et sacerdotes quibus licebat, et aruspices, lotis manibus se sacra et pura circumpurgantes aqua, fruges Cereales capitibus uictimarum inspergentes, postea precibus uotisque nuncupatis immolare ministros iubebant. Horum uero alii quidem supra hostiam stantes, recte tempora feriebant: alii cadentibus supponebant sphagidas, id est cultros. Et post haec eas excoriantes, et membratim diidentes, primitias ex omni uiscere, quos ex omni alio membro excipiebant, quas farris farina inoluentes afferebant sacrificantibus in canistris, qui eas aris imponentes succendebant, et uinum infundebant aduersum purificata. Haec ferme Dionysius qui et haec ipsa prope eadem Graecorum fuisse, ex Homero pluribus ostendit. Sane quoniam de canistro [p.744] et hic et alibi in sacris meminimus, sciendum, quod in ipso sacrificio canistrum deferebatur

cum hordeo, corona et cultro, et igne, id quod festiue licet Aristophanes in Pacis fabula rideat, iuxta tamen sacrorum ritum exequitur. Sed institutum sequamur. Igitur ab Ioue exordiemur.

Triumphantes Ioui Capitolino candidum taurum auratis cornibus mactabant. Seruius in decimo Aeneidos super ea Ascanii facta Ioui uota,

Et statuam ante aras aurata fronte iuencum  
Candentem, pariterque caput cum matre  
ferentem.

Iuencum, inquit, secundum Romanas caerimonias dixit. Ioui enim de tauro non immolabatur, nisi cum triumphi nomine, de sue, uel tauro fiebat: quod tamen ideo admissum fuit, quia non tantum Ioui, sed aliis deis, qui bello praeerant, sacrificabatur. Haec Seruius. hinc Iuuenalis,

Duc in Capitolia magnum,  
Cretatumque bouem.

Id est, album. Seneca in Medea,  
Primus sceptriferis colla tonantibus  
Taurus celsa ferat tergora candido.

Tonantibus, inquit, Ioui et Iunoni. Atteius Capito, antiquitatum diligentissimus scriptor: Ioui, inquit, tauro, uerre, ariete immolari non licet. Labeo libro LXXVIII. affirmat, nisi Neptuno, Apollini et Marti taurum non immolari. Sed et principio anni Consules iniuges iuencos mactabant, cum consulatum inibant. Quot uero idibus Idulis, hoc est, agna alba a Flamine Ioui, ut inquit Festus, caedebatur, Ouidius

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Kal. Feb. Ioui tonanti bidens uictima fiebat: Idibus uero Ianuarii, uerue. Legi et qui Flaminis uxorem scribat, omnibus nundinis Ioui arietem mactasse. Prodigiali Ioui mola salsa et thure sacrificabatur. Varia certe plerunque uictima Ioui offerebatur, pro cognominis diuersitate. aliter enim Elicio, aliter Fulminatori, uel Tonanti. Ioui praeterea in ueste candida sacrificabatur.

Iunoni tauro albo antiqui rem sacram faciebant, sed de iuuenca potius docti autumant. Seneca in Medea,

Lucinam niuei foemina corporis intentata  
Iugo placet.

Id est, iniugis: ubi foemina pro uacca sumitur. sic et Vergilius,

Vritque uidendo Foemina.

Iuuenalis tamen,

Niueam Reginae ducimus agnam,

dixit. Sed et Aelianus scribit, quod cum Samiis aurum furto sublatum ouis inuenisset, Mandrabulus Samius Iunoni ouem consecrauit. Pauo insuper, et anser huic deae dicati. De pauone fabula apud Ouidium in Metamorphoseis et Athenaeum. De ansere, T. Liuius in Capitolina obsidione, indicat. Tametsi Martialis [p.745] libro nono, Velium Domitiani comitem inducat, Marti anserem uouisse: qua de re eius pulchrum legimus epigramma,

Dum comes Arctoi, etc.

In omnibus etiam Kalendis Regina sacrorum, id est regis sacrorum uxor, porcam uel agnam Iunoni immolabat: eidem mulieres Kal. Martiis flores et coronas offerebant. Caprotinae etiam huic deae dicatae fuerunt, itemque caprificia sacra ancillarum, de quibus ante plane bis actum est.

Neptuno Taurum nigrum sacrificabant.

Vergilius,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Homerus in Odysea ταύρους παμμέλανας, hoc est, tauros ualde nigros, quo loco interpres: Tauros, inquit, propter maris uiolentiam: nigros uero, propter aquae colorem, ex maris profundo. Idem fere scribit Phurnutus, ut in Neptuno rettulimus. apud quem et illud legimus, καὶ θύουσι αὐτῷ ἀσφαλάκους πολλαχοῦ, id est, Eidem deo sacrificant asphalacos ubique. quidam talpas interpretati sunt, quasi quod ἀσφαλῶς tuto terrae fundamenta et aedificia consistere faceret, unde et Asphalius ipse cognominatus sit, ut pluribus in Neptuno ostendi. Pindarus in Olympiis ταῦρον ἄργον illi ascribit: quidam album interpretantur, propter maris spumas: alii non album, sed florentem, aut procerum interpretantur. Ego uelocem expono: nam et sic canes cognominatos uidemus. Sed de hac uoce cum alibi, tum in Argiphonte Mercurio plura dixi. Quare quicumque Neptuno candidos tauros attribuunt, hi in sacrificiis parum antiquitatis scii esse uidentur. Sane et Pindari interpretes Neptuno nigros tauro mactari prodiderunt. Sed et Tempestati nigram pecudem Maro attribuit. ait enim,

Nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Porro et hoc in nostris Nauigiis obseruauimus, ueteres mare ingressuros, Neptuno et fluctibus sacra fecisse: et plerunque hostiam ipsam, nonnunquam cruda

exta proiecisse. quod et Scipionem, cum nauim in Africam conscensurus esset, fecisse, testis est Liuius. Ridiculum est quod Baptista Leo scribit libro septimo, ex sophista Ph. In Isthmo solitos Neptuno et Soli formicas immolare.

Plutoni, hoc est Diti patri de nigra pecude rem diuinam faciebant, eidemque pocula mixta mero et lacte libabant. Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti,

Et niuei lactis pocula mixta mero.

Horatius libero secundo Carminum,

Non si tricenis, quotquot eunt dies,

Amice places illachrymabilem

Plutona tauris.

Vergilius in sexto Aeneidos,

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,

Et solida imponit taurorum uiscera flammis,

[p.746]

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Obseruant periti sacrorum, et cum his grammatici, quod sterilibus pecudibus, et iuuenicis, ac uino, melle, lacte, sanguine, Diti sacra fieri sunt solita: quanquam Numae legibus deis inferis uina libare uetitum esset. ita enim ille statuit: Vino rogum ne respergito. Sed aliud est Diti rem sacram facere, aliud rogum respergere.

Dionysio, hoc est Baccho, hircum, seu caprum mactabant, quod hoc animalis genus maxime uites rodant. unde illud est,

Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras

Dicitur ultoris, etc.

Vergilius in Georgicon secundo,

Baccho caper omnibus aris

Caeditur, et ueteres ineunt proscenia ludi.

Et mox idem,

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem,

Carminibus patriis, lancesque et liba feremus,

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,

Pinguique in ueribus torrebimus exta colurnis.

Hinc etiam Prudentius contra Symmachum,

His nunc promeritis Baccho caper omnibus aris

Caeditur, et uirides discidunt ore chelydros.

Ouidius in Fastis,

Rode caper uites: tamen hinc cum stabis ad aras,

In tua quod spargi cornua possit erit. qua de re et graecum legimus Eueni carmen, quod an Ouidius aemulatus sit, an graecus

Euenus Ouidium, eruditi quidam ambigunt. Politianus tamen a graeco latinum desumptum affirmat, nec transmarinam illam graeci poetae Venerem Ouidium attigisse. Euenum poetam certe antiquiorem Ouidio, in Poetarum historia recensui. Sed et Phurnutus hunc sacrificandi morem describit, et interpretatur. cum in Attica agricolae utres dispergere solerent, saltantes inter eos: quem ritum elegantissime est in Georgicis Vergilius executus. quae celebritas ab utribus ἀσκοδία dicebatur, unde et uerbum ἀσκοδιάζειν, qua de re in Meoenatis uita in Historia poetarum disserui. His addit Phurnutus, Phallos, et Phallogogia. Sedenim et Tibullus in VII. primi libri Elegiarum de Bacchi et Osidiris sacris elegantissime lusit. Martio etiam mense liba et mella Baccho offerebantur, quod idem Tibullus ostendit,

Sic, inquit, uenias hodie tibi dum thuris honores,

Libaque Mosopio dulcia melle feras.

Sane aequae graecis ac latinis Trieterica Bacchi sacra dicuntur, hoc est Triennalia. Ouidius.

Ibat ut Aonio referens Trieterica Baccho.

Idem in Metamorphoseis,

Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi

Sithoniae celebrare nurus, nox conscia sacris,  
Noctre sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti.

Et Vergilius. [p.747]

Bacchatur, qualis commotis excita sacris,

Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho Orgia.

Et Statius,

Da Paruenium Trieteride multa Instaurare diem.

Apollo, qui et Phoebus a graecis et latinis, a Persis Mithra dictus est, tauro in primis placabatur. unde poeta Vergilius,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Ludis quoque Apollinaribus a Romanis, ex carminum Sibyllinorum religione boue aurato et capris duabus albis auratis, XVIII Augusti placabatur: et Latona, foemina boue aurata, quod in hoc alibi planius dixi. Alii equo, hoc est, celerem deum celeri uictima, tradunt. Lactantius in primo. Ouidius in Fastis,

Placat equo Persis, radiis Hyperiona cinctum.

Scribit Strabo libro XI., ubi de Massagetis loquitur: Ab iis ait solis uictimam equum

mactari. Herodotus etiam a Scythis idem fieri tradit. Philostratus uero in Heroicis, refert Palamedem graecis praecepisse, ut orienti Soli candidum equum mactarent. Parrhasii tamen in Arcadia Apollini Epicurio, id est auxiliari, aprum sacrificabant: Apollini Pythio, Paeani, et Agyieo, pro reconciliatione patris et filii, sacrificium facit Aristophanes in Vespis: quod fabulose licet, ex ritu tamen sacrorum descriptum est.

Aesculapio de capra res diuina in primis fiebat, quoniam capra nunquam sine febre esse dicitur: salutis uero deus Aesculapius. Sed et gallus illi immolabatur, ut est alibi a me dictum. Sunt qui gallinas scribant, et has quidem rostro nigro, nigrisque pedibus, et digitis imparibus. Si enim luteo essent rostro, uel pedibus, impurae putabantur ab aruspibus. Et quanquam in symbolo Pythagorae, quod est, Gallum nutrias, ne tamen sacrifices, pleraque attuli de galli gallinae sacris: hic tamen quaedam, quae me illic praeterierant, ex uaria lectione collecta, ascripsi. Non tantum ergo gallus Aesculapio dicatus fuit, et Marti, et Nocti, sed et Ioui, Cybeli, et Mensi interdum. Est et apud Plutarchum in libro Isidis et Osiridis, ubi de Anubi agit, et Hermanubi: Ad hunc, inquit, inferiora, sicut ad illum superiora pertinent: quapropter illi candidum gallum, huic croceum immolant. Sed Pyrrhus quoque rex, cum splene laborantibus mederetur, albo gallo sacrum peragebat. Porro non modo Aristophanes in Pluto, quo modo sacra fierent, et sanarentur aegroti in templo Aesculapii, docet, sed et Philostratus in uita Apollonii Tyanei, et alii plerique.

Mercurio, ut aliis deis, caetera immolabantur: sed lingua ei dicabatur. nam ut in commentariis in Apollonium Rhodium legimus, antiquis mos fuit, ut cum cubitum irent, uinum libarent, et uictimarum linguas Mercurio sacrificarent. idque naturali ratione factum aiunt: quando quidem Hermes, id est Mercurius, sermo putabatur, cuius sit organum ac [p.748] instrumentum lingua, quae decenter Mercurio, dum somnus instaret, sacrificabatur: quin et ipse somni deus credebatur, ut in eius dei descriptione plenius ostensum est. Huiusce ritus meminit Apollonius in primo Argonauticon. quin et Homerus ait γλώσσας ἐν πυρὶ βάλλον, id est, linguas in igne iaciebant. Direchidas autem historiam affert de Alcathoo Pelopis, qui ob necem Chrysiippi ex

Megarum aufugit, et cum leone certare contigit, linguamque eius consecrare. Sed et Philochorus in libro *περὶ θυσίων*, linguas ait optimam esse corporis partem. Hinc et Homerus dixit, *ἀλλ' ἄγε τέμνετε γλώσσας*, sed age caedite linguas, praeco: quod est, linguis fauete. Maiae, quae Mercurii mater fuisse perhibetur, Romani mense Maio suam praegnantem immolabant.

Vulcano cum sacrum fiebat, omnia igne absumebantur: id quod Proteruiam dicebant, ut alibi plane ostendi. Nam nisi uictima, et quodcumque superesset, igni datum fuisset, sacrificium pollui putabatur.

Marti Romanis October equus immolabatur in campo Martio, Id. Oct. summa religione: id quod copiose in libro de Annis mensibus, etc. docui: Plutarchi quoque codicem tum graecum tum latinum castigavi. Colebatur et a Carmanis Mars, cui quod equis carerent, eorumque inopia in bello asinis uterentur, asinum sacrificabant, ut Strabo in XV. scribit. id a Scythis fieri ait Arnobius, Apollodorum citans. Quin etiam inter Carmanos nemo uxorem ducebat, nisi prius hostis caput amputatum, ad regem detulisset. Latini lupum et picum Marti dicabant, Lusitani hircum, Galli Cisalpini uerrem, diuerso quique consilio et ritu. ita ut Phaselitae de piscibus salitis Marti rem diuinam facerent, ut etiam in Symbolis prodidi. illud etiam instituti apud Lacedaemonios annotatum legi, cum ipsi aliquo stratagemate uictoria potiti essent, Marti bouem immolabant: si uero aperto Marte uicissent, gallum. id quod ab eis non sine ratione fiebat, quod pluris aestimabant incruentam uictoriam, quam cruentam. Idem porro Marti Enyhalio canem mactabant Lacedaemonii, ut ait Pausanias in Laconicis. Scribit enim, ephebos Lacones, cum pugnam essent inter se inituri, Marti canis catulum immolasse, deo scilicet ualidissimo uictimam ualidissimam, et cicurem dicare se arbitantes. Subdit idem, catulos non sacrificari a Graecis: Colophonii exceptis, qui catellam nigram nocturno tempore immolabant Triuiuae. Quare mirum est, quosdam Enodio deo scripsisse potius, cum Mercurius eo cognomine dictus sit. Sed praeter ea quae hic et alibi sparsim attuli, nunc breuiter tibi ostendam, de canibus apud alios secus quam Pausanias tradit, sacrificatum fuisse. Nam Sabaei et Thraces, ut canit Ouidius canes immolabant:

Exta canum, inquit, Triuiuae uidi libere Sabaeos, [p.749]

Et quicumque tuas accolit Aeme niues.

Romanos etiam in Lupercalibus canem immolasse, iam dictum est. Item ut expiationibus quibusdam, et ad placandum caniculae sidus, frugibus inimicum, canes ruffae adhibebantur: quod sacrum Canarium augurium nuncuparunt. Graeci uero *περισκυλακισμόν* uocabant, quod ex catulis sacrum fieret, ut Plutarchus scribit. Dure quidam interpretati sunt circumcatulationem. Pro frugibus quoque et pecoribus, ut rubigo auerteretur, lactenti catulo sacrum conuenire existimabant: idque Rubigalibus, ut in primo Syntagmate dictum est, et infra dicitur. Catulos etiam recens editos tam in Adicialibus, quam deorum coenis saepe adhibitos fuisse, Plauti fabulae indicio sunt. nam catulos lactantes adeo pueros putosque ueteres existimarunt ad cibum, ut etiam placandis numinibus, ut ait Plinius, hostiarum uice uterentur. Thrasyllus etiam uates ex canum extis uaticinari solitus erat. Sed nec sementem Latinis administrari, nec oues tonderi, nisi catulatio, id est ex cane sacrum prius fieret, ullo modo licuit. Quin et apud Boeotios, ait Plutarchus, expiatio fieri solebat, cane per medium in duas partes dissecto exire idem et Caribus, ut quibus exta canis deis offerre mos fuit: unde factum sit prouerbum, Caricum sacrificium. nam pro hirco canem mactabant: auctores Diogenianus, et Hesychius, et Arnobius. Viuas praeterea canes cruci affigi a Romanis, atque inter aedes Iuuentatis et Sumani quotannis ansere insidente deferri, uulgo proditum fuit, quae crux ex sambuco fiebat. Quare cum ex canibus tot sacra peracta legamus, mirum est a Pausania dici, quae paulo ante notauimus, et quae Plutarchus omnis antiquitatis diligentissimus obseruator in eo Problemate scribit, in quo agit, Quid est quod sacerdotem, id est Flaminem Dialectem cane et capellae adeo Romani abstinere uoluerunt, ut non modo attingere, sed ne quidem appellare liceret? in quo Problemate cum multa de capra et cane dixisset, demum et illud subinfert: Et si ueteres hoc animal omnino impurum esse putauerunt. Coelestium enim deorum nulli prorsus canis consecratus est, sed Chthoniae Hecatae coenae dimissus in triuiuis piaculi locum obtinet: et caetera, quae subdit. Quare iam satis de sacris ex cane, harum rerum curiosus attulerim.

Herculi Romae in ara Maxima bos sacrificabatur, sumpta consuetudine, de qua late T. Liuius, et Ouidius, et Dionysius Alicarnasseus. Sed et Vergilius libro Aeneidos VIII. Apud hanc aram Herculis dum sacra fiebant, dumque sacrificabatur, omnes capitibus apertis, et non uelatis esse oportebat, cum caeterorum deorum fere operto capite sacra peragerent, quod planius ante rettuli. Sed et sedentes in his sacris epulabantur, cum in aliis stantes id facerent. Porro quo modo mane et uesperis sacra huic [p.750] deo in ara Maxima fierent a Pinariis et Potitiis, iam supra relatum. Scribit Plutarchus in Quaestionibus, Cum Herculi res diuina fieret, nullus alius deus uocabatur, nec intra moenia canis apparebat. qua de re in Herculis uita sum locutus. Decima praeterea Herculi dabatur, ut pluribus idem Plutarchus ostendit in causis Romanis. Sed hac de re audi Varronem: Herculi, inquit, Decima data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est, ut fani lege fit: id dicitur pollutum, quod a porriciendo est fictum. dum enim ex mercibus libamenta proiecta sunt Herculi in aram, tum pollutum est: at cum profanum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. Itaque ubi olim fano consumebatur omne quod profanum erat, ut etiam fiebat, quod populus Romanae urbis quotannis faciebat, cum Herculi immolaret publice iuuenicum. haec Varro. Porro ab hoc sacro pollucere uerbum factum est, ut idem Varro testatur in Satyris. Maiores solitos decimam Herculi uouere, nec decem dies intermittere, quum pollucerent. Legimus et M. Crassum, et Lucullum, et Syllam eiusmodi decimas Herculi, et populo Romano persoluisse. Mulieribus, sacris adesse, et rem diuinam facere fere deis omnibus licebat: Herculis tamen sacrificio adesse, uel exta tangere, aut uesci, araeue admouere manus, aut solennia uidere, religio fuit. causam Plutarchus recenset. Apud Lindum Herculi cum conuiciis sacra agebantur, ut Lactantius Firmianus in primo de Institutione et ipsi in uita Herculis diximus. unde prouerbium, Lindia sacra. Silius Italicus sacrum Herculis Gaditani, et eius caerimonias luculenter est executus in exordio statim libri tertii Punicorum. id quod et ipse in Hercule retuli. Lucianus quoque in fine τῶν ἐρώτων, sacrum Herculi fieri describit ex pyra ac censa, quod in rei memoriam fiebat illius interitus. Plura de Herculis uel sacris, uel diuersarum gentium institutis, collegit Alexander libro secundo cap.

XIII. Sed cum non probet ueterum sententiam, et quae prodit pleraque confundat, et aliter ipse quaedam, quam ab ipso traduntur: ea tibi supersedeo aduocare. locum ostendo: fides sit penes auctorem, eum si legere placuerit.

Ceres dea frugum, cui in primis spicas antiqui dicabant, et ex eis coronas. Sed de porca res sacra fiebat, ut alibi dictum. Huic et frugum primitiae offerebantur. Quin et mense Aprili cum lampadibus et tedis accensis, sacerdotes in uestibus albis mactata porca sacrum peragebant. Ouidius,

Prima putatur

Hostia sus meruisse mori, quia semina pando

Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Idem alibi,

Prima Ceres grauidae gauisa est sanguine porcae, [p.751]

Vlta suas merita caede nocentis opes.

Sane porcum, uilem admodum apud Platonem Socrates uictimam facere uidetur, in libro de Legibus: In arcanis, inquit, audiendae sunt eiusmodi fabulae a quam paucissimis, qui quidem non porcum, sed preciosam quandam raramque uictimam sacrificauerint. Idem et Proclus repetit. Cereris nuptiae sine uino celebrabantur, et Orci nuptiae (quod Seruius scribit) dicebantur. unde Plautus in Aulularia, Cereris' Strobile hi sunt facturi nuptias? Qui? Quia temeti nihil allatum intelligo. Cereris sacra haec Thesmophoria graece dicebantur, ut pluribus in Thesmophoro Cerere scripsi. eadem et δημήτρια. In his sacris Athenienses δῖωγμα commemorabant, quod demum teste Hesychio ἀποδίωγμα nuncupatum fuit. haec fere describuntur in X. Metamorphoseon ab Ouidio,

Festa piae Cereris celebrabant annua matres,  
Illa quibus niuea uelatae corpora ueste,

Primitias frugum dant spicea sarta suarum,

Perque nouem noctes Venerem, tactusque uiriles

In uetitis numerant:

et reliqua. Idem alibi,

Annua uenerunt Cerealis tempora sacri,

Secubat in uacuo foemina uirque thoro.

Flaua Ceres tenues spica redimita capillos,

Cur inhibes sacris commoda nostra tuis.

Sed non sine piaculo praeterimus poetae ex primo Georgicon uersus. ita enim canit,

In primis uenerare deos, atque annua  
magnae

Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis,  
Extremae sub casu hyemis, iam uere sereno,  
Tunc agni pingues, et tunc mollissima uina,  
Tunc somni dulces, densaeque in montibus  
umbrae,

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,  
Cui tu lacte fauos, et miti dilue Baccho,  
Terque nouas circum felix eat hostia fruges.  
Omnis quam chorus et socii comitentur  
ouantes,

Et Cererem clamore uocent in tecta: neque  
ante

Falcem maturis quisquam supponat aristas,  
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu  
Det motus incompósitos, et carmina dicat.

Quo loco grammaticus Seruius ostendit,  
aliud esse Cereris sacrificium, aliud Orci  
nuptiae. in hoc enim uinum non inferebatur, in  
illo utique. Legimus praeterea, saepe quoque  
litatum Cereri lacte, uino et melle, sine [p.752]  
uictima. Scribit Phurnutus, primo uere cum  
primum herba uiridis apparere coepisset, tum  
primum herbam ipsam antiquos solitos fuisse  
Cereri dicare. Tum post etiam subiungit, de  
sue praegnante sacrificium illi factum, propter  
terrae fertilitatem, conceptumque facilem. Sed  
et papauer hic deae offerebatur, quod non sine  
ratione factum ait. nam papauer ipsum cum  
rotundum sit, et turbinatum, terram significat:  
eius uero inaequalitas, ualles ac montes  
significare uidetur: quae intra sunt granula  
multiplicia, hominumque et animalium  
multitudinem denotant. Adiicit idem  
Phurnutus alia quaedam, quae breuitatis causa  
praeterii, nec nostro satis conducunt instituto.  
Porro ut graeci δημήτρια Cereris sacra dixere,  
sic et latini Cerealia, ut Varro docet. Cereris  
sacra ex Graecia, scribit Festus, multi ex Attica  
dicunt, propter sacra Eleusinia: alii ex Enna  
Siciliae urbe, quod M. Cicero et Valerius  
Maximus assentiri uidentur, ut copiose in  
Ennensi Cerere docui.

Proserpinae sterilis uictima attributa fuit,  
quia nec ipsa unquam peperit. Macrobius ex  
sententia Cornelii porca. Quidam super hoc et  
illud Martialis in sexto interpretantur,

Exoluit uotis hac te sibi uirgine porca.  
Certe Vergilius in sexto cecinit,  
Sterilemque tibi Proserpina uaccam.  
Et Aurelius Prudentius in primo contra  
Symmachum,

Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina  
regis,

Placatur uaccae sterilis ceruice resecta.

Mineruae taurus albus immolabatur  
interdum. Romae uero in Quinquatriis prima  
dies sine caede et uictima fuit, quod eo die in  
lucem deam editam putabant: in caeteris autem  
uictimas caedere solebant. At uero Tubilustrio,  
qui eorum dies ultimus fuit, et quo tubae  
lustrabantur, de agna res diuina fiebat. Lege  
Varronem, et alios. Iuuenalis,

Niueam reginae ducimus agnam,

Par uellus dabitur pugnantem Gorgone Maura:  
id est Palladi, quae Mauriana Gorgone,  
capite Medusae usa a poetis fingitur.  
Athenienses annua solennia Mineruae tauris et  
agnis celebrare solebant, ut ait Alexander. In  
quadam Africae parte puellae absque uictima,  
fustibus inuicem decertantes, sacrum Mineruae  
peragere solebant.

Diana cerua placabatur: haec enim ei uictima  
pro Iphigenia data fuisse creditur. Et  
quanquam ex aliis possem multa afferre, hoc  
tamen sacrum leges in Euripidis tragoedia,  
quae Iphigenia in Aulide inscribitur, et quae in  
Tauris. Alii licet diuersa tradant, ut in ipsa dea  
exposui. et ut ait poeta, [p.753]

Quae semel est triplici pro uirgine caesa  
Dianae,

Nunc quoque pro nulla uirginitate  
cadit.

Sabaei uero et Thraces extis canum, ut paulo  
ante dixi, Dianam placabant. Ouidius,

Extis canum Triuiuae uidi libare Sabaeos,

Et quicumque tuas accolit Aeme niues.

Idibus Augusti Romae facibus accensis ab  
urbe in nemus Aricinum discurrebant, in quo  
nemore Dianae Nemorensis appellatae celebre  
templum erat. Quo ego saepe animi gratia cum  
amicis sum profectus, cum Romae gratis  
optimam aetatis partem consumerem. De his  
sacris, Idibus (ut dixi) Sextilibus celebratis, sic  
ait Propertius:

Cum uidet accensis deuotum currere tedis

In nemus, et Triuiuae lumina ferre deae.

Et Statius in Syluis:

Iamque dies aderat, profugis cum regibus  
altum

Fumat Aricinum Triuiuae nemus.

Et item paulo post,

Omnisque pudicis

Itala terra focus Hecataeas excolit Idus.

Sed hac de festiuitate, eiusque certamine  
plura in deae cognominibus relata sunt.

Lunae taurus mactabatur, quia similia uidentur cornua tauro. Lactantius in primo: Isidi deae Aegyptiorum, quae et Luna putabatur, ab aliquibus Ceres, ut in ea actum est, anser mactabatur, iecurque illi apponebatur, ut Herodotus et Ouidius testantur. tametsi Macrobius, alique nonnulli asserant, Aegyptios thure et precibus deos placasse. De Isidis pompa, et sacerdotibus linigeris, rasisque eorum capitibus, alias in ipsius deae descriptione actum est. Sed et Claudianus poeta,

Sic numina Memphis

In uulgo proferre solet: penetralibus exit  
Effigies, breuis illa quidem, sed plurimus  
infra

Liniger, imposita suspirans ueste sacerdos,

Testatur sudore deam, Nilotica sistris

Ripa sonat, uariosque modos Aegyptia ducis

Tibia, submissis admugit cornibus Apis.

Eadem ferme Apuleius in Asino aureo: sed longo plura habes in Plutarchi libro de Iside et Osiride.

Hecatae deae, ut iam dictum est, canis immolabatur, diuersimode quidem. nonnulli enim Proserpinam existimantes, ei de cane sacra faciebant, ut Plutarchus scribit, et Lycophronis interpres, citans illud Sophronis in Mimis, ὁ γὰρ κύων βαυβύζας λυεῖ τὰ φάσματα: hoc est, Canisque baubans dissipat phantasmata. Quin et Caniuora dea dicta est ab ipso Lycophrone, id est κυνοσφάγος θεός, ut in Hecate diximus. Plutarchus etiam in causis: [p.754] Cur, inquit, Genetae nuncupatae soli canem Romani immolant. Et paulo infra in eodem ait: Vt igitur Hecatae Graeci, sic Romani Genetae, pro his quae domi nascuntur, canem immolant. qua de dea non multo post scribam.

Veneri albas columbas dicabant ueteres, et ideo Aeneas apud poetam maternas appellat aues. Rem autem diuinam mense Aprili apud Romanos Veneri ex rosis et floribus faciebant mulieres, myrto coronatae. Et quamuis sus inuisus Veneri dicitur, sues tamen legimus apud Graecos Veneri immolatos, ut est apud Athenaeum comprobatum ex Antiphanis, Callimachi et Zenodoti scriptis. Idem praeterea Athenaeus ait, ab Argiuis suem Veneri sacrificari, cuius sacrificii celebritas a suis ὕσθηρια nuncupabatur. Est et graecis prouerbium, suem immolauit; hoc est, ἀφροδίτῃ ὅν τέθυκεν: ubi quis offert id munus, quod minime gratum sit. Inuisus

quippe Veneri sus propter Adonis necem, ut in eo copiose traditum. Qua uero caerimonia Paphiae Veneri sacrificaretur, in eius descriptione ostendi. Veneri cornutae apud Tussas gentem Aegyptiam, uaccam immolari solitam, iam dictum est. Astartem cum alii, tum Theophylactus Venerem interpretatur, in Commentariis Oseae.

Saturno Romani, ut Macrobius in primo Saturnaliorum scribit, sacra faciebant more graeco, capite aperto. Alibi dicit, ritu peregrino, et capite aperto. Sed quanquam hanc rem pluribus suo loco ex diuersis auctoribus explicui, hic etiam nihilominus ex Plutarcho in causis Romanorum, breuiter repetam: Quid est, inquit, quod Saturno capite aperto immolant? An quod uelandi capitis ritum Aeneas tradidit? Saturni uero sacrificium peruetustum est. An illud potius, quoniam deis coelestibus immolantes uelantur: Saturnum uero terrestrem et chthonium esse arbitrantur? An quod ueritas oculi, obscurarique non potest? Veritatis autem parentem ac deum Romani Saturnum habent. Sedenim Festus ait, Saturno furuum bouem, id est nigrum immolabant. at uero Cyrenaeos euinctos tempora coronis, ex ficu recenti Saturno sacra fecisse proditum est, mellitasque placentas mutuo misitasse. Aborigines autem, Italiae indigenae, humana hostia placabant: id quod postea ab Hercule in simulachra et effigies Argaeas immutatum fuit, et luminibus splendoribusque celebrata. unde et caerei ideo in Saturnalibus mittebantur, ut Macrobius scribit: et sigilla fictilia passim uendebantur, unde etiam Sigilliariorum nomen. Sed quod humana uictima Saturnus placaretur, apud uarias nationes, pluribus Eusebius de Praeparatione euangelicae, Clemens, Cyrillus, Plutarchus, alique permulti prodiderunt. Sed et alii quoque dei, daemonesque ac heroes: quin et in sacris Hebraeorum literis harum abominationum est facta mentio, in quibus et [p.755] ipsi interdum prolapsi, et proprios etiam filios iugulabant, et in ignes mittebant, ut plane ex libro Carminum regis Dauidis, et qui in eum commentarios iam trium linguarum condiderunt, colligimus. Carthaginenses Saturno quidem filios sacrificabant. unde cum aliquando obsessi essent ab Agathocle rege, putarunt sibi Saturnum iratum ea causa, quod clam liberorum loco coemptis infantibus, et educatis, illi sacrificassent. quare ut sacrum expiarent, ducentos nobiliorum ciuium filios

publice immolarunt. Quin etiam cum ad Himeram Gelo Carthaginenses debellasset, pacem et foedus cum eis hac conditione fieri uoluit, ut inter caetera subscriberent, ne filios sacrificarent. Nota est historia apud Plutarchum. Sed nefanda et execranda haec sacra mittamus.

Rhea, quae et Cybele, et Deorum mater, aliisque multis nominibus uocabatur, sacerdotes castratos, qui Galli dicebantur, habebat, ut in cognominibus iam pluribus est declaratum. Deae huic proprio suo sanguine litabant. Magnae uero matri de porca sacra fiebant. Moretum quoque, quod edulii rustici genus fuit apud antiquos, eidem offerebant, ut in Fastis docet Ouidius. Moretum carmine Vergilius composuit elegantissimo ut nosti, quod puer ipse olim sum interpretatus. Moretum et Seruius uir longe doctissimus, teste Macrobio, composuit. Sed et Columella libro de Re rustica ultimo moreti confectionem docuit. Haec et alia pleraque in eo nostro puerili commentario dicebam, quod mihi e manibus extorsit Bernardus Barbuleius, cui plurimum literae et literari debent, nedum ego, quem fratris loco habeo.

Vestae, uel deis si quando Vestales uirgines sacra libarent, uel rem diuinam facerent, eo cultu ornatuque ut erant, et uittatae peragebant. album tamen praeterea uestimentum, quod suffibulum uocabatur, oblongum et praetextum, et quadrangulum in capite sumebant, fibulaque subnectebant: tum casta mola et sale tuso in ollam fictilem misso, mox in aquam iniecto, sacra faciebant: calicibusque fictilibus, quos culillos dicebant, Vestae et deis libabant. Alexander libro V. capite XII. Sed de Vestalibus in Vesta plura legito, et quae in hoc retuli. Illud hoc loco non omiserim, quod ab Hesychio scriptum est, morem fuisse Graecis, ut Vestae primitias facerent, atque inde prouerbium exortum, quod praetermississe miror Erasmum, A Vesta incipies: hoc est, ἀφ' ἐστίας ἀρχόμενος. Profertur uero a cursoribus circa sacra.

Gynaeeae deae, quam et Plutarchus in causis Romanorum duobus capitibus nominare uidetur: licet in altero, id est priore, interprete male exposuerit. nam pro Gynaeeae Floram reposuit. in altero uero Gynaeeae pro Geneta legitur: cui lectioni graecus codex suffragatur. Nec praeterea legimus, quod de cane fecerint, ut certe Plutarchus ait. Diuersa

[p.756] ergo Gynaeeae a Geneta, quam et Genesiam nescio qua ratione quidam dixerint. Et licet de Gynaeeae, id est Bona dea locutus sim in Rhea et Magna matre in Saturni Syntagmate, hic tamen quae Plutarchus in causis scripsit afferam. Quid est, inquit, quod deae Gynaeeae, quam Bonam deam nominant, omni florum genere sacrum exornantes mulieres, in domum myrtos non important, praesertim cum ambitiosius cunctis germinum ac florum uarietatibus uti soleant? An illud est, quod a fabulatoribus dicitur, Flauii diuinatoris uxorem fuisse? quae cum uino clam copiosius uteretur, deprehensa myrteis uirgis ac flagris a uiro caesa fuisse dicitur. Inde factum est, ut myrtus in eius aedem non inferatur: uinum tantum, cum mulieres ei libant, lac appellant? An uero, quod cum a multis aliis, tum uero rebus ueneris, castae ac purae sacrum illud obeunt. Non solum enim uiros excludunt, sed cum solenne sacrum faciunt, quicquid masculinum est, domi exigunt. myrtum igitur quasi Veneri dicatam, religiosam habent. Nam quam nunc Murtiam Venerem nominant, antiquitus (ut uidetur) Myrtiam appellare consueuerant. Hactenus Plutarchus. Hoc uero sacrum Damium uocabatur, teste Festo. Plura alibi retuli. Hic illud tantum, quod Pomponius Laetus de Sacerdotiis ait, ascribam: Fauni soror Fatua, uaticinatrix. ab ea uates Fatuarii dicuntur: haec traditur mulierum castissima, ideo eam Romani Bonam deam appellauere. cuius templum est in saxo Auentini montis, unde ingressus uirore prohibetur, et ei foeminae tantum sacrificant. Haec ille. Illud tamen obseruandum, quod non in monte Auentino haec sacra, sed in aedibus uel pontificis, uel alterius probati ciuis et patricii: ut contigit, cum ea Clodius polluere tentauit, quod plane in eius Deae descriptione tradidi.

Iano sacra fiebant ex libo, quod ab eo Ianual antiqui dicebant. erat enim placentae genus. item ex mola, quae farina horna et sale miscebatur: interdum uero thure et mero. Hinc Ouidius,

Iane tibi primum thura merumque fero.

Sed et ad melioris anni omen solebant ueteres Kal. Iani caricas et cariodites et mella tum deo, tum amicis et propinquis elargiri, ut dulces dies anni a dulcibus rebus auspicarentur. Sed et stipes et pecunias largiebantur, id quod et hoc ipso tempore ab aliquibus obseruari uidemus. Huic quoque

Agonalia quidam attribuerunt, de quibus in hoc ipso ante scripsi, quo die Iano aries mactabatur. Ovidius.

Ita rex placare sacrorum

Numina Ianigeræ coniuge debet ouis.

Notauius alias, in anni exordio, in principio Ianuarii, solitos Romanos bene auspicari. Nunc uisum est addere, quæ Lucianus scribit in Pseudologista: In anni (inquit) exordio, nempe die tertia a magna noua luna, cum Romani pro more maiorum ipsi preces pro toto anno faciunt, et sacra [p.757] iuxta ceremonias sacrificandi a Numa rege institutas, in eo uidelicet die dei uotis precibusque uacent. Meminit et Plinius in Panegyrico, itemque historiographi.

Pales dea pastorum, ut primo Syntagmate ostensum est. Ab hac dea Parilia, quæ et literæ immutatione Parilia uocata fuere, hæc XII. Kal. Mai. celebrantur, qui Romæ dies natalis fuit, de quo Genethliacon carmen legitur non illepidum P. Marsi, et aliorum. Variæ uero eo die fieri solebant purgationes, et expiamina, quorum in quarto Fastorum meminit Ouidius.

Alma Pales faueas pastoria sacra canenti,

Prosequor officio si tua facta meo,

Certe ego de uitulo cinerem, stipulamque fabalem,

Sæpe tuli plena februa tosta manu.

Certe ego transilui positas ter in ordine flammæ,

Virgaque rores laurea misit aquas.

Et Propertius,

Annuaque accenso celebrate Parilia foeno.

Persius uero ait,

Fumosa Parilia foeno.

Fiebant et alia plura a pastoribus. Ouilia enim, oues et pecudes, purgabantur fumo ex sulphure, rosmarinumque ac herbam sabinam et laurum cremabant. Item liba ex milio, et lactis mulctralia in deæ ipsius honorem offerebant. Tibullus,

Et placidam niueo spargere lacte Palem.

Ouidius,

Et tepido lacte precare Palem.

At si de Pale plura cupis, præter ea quæ in primo libro dixi, lege Dionysium Alicarnasense in primo, et Seruium in Georgicis, Plutarchum, Varronem, cæteros.

Telluri terræ deæ mense Aprili Romani bouem fordam, id est grauidam mactabant, uaccasque prægnantes, ex quibus uitulos a ministris exectos maxima uirgo cremabat.

Horatius tamen secundo Epistolarum tellurem porco placari solitam canit: quo loco Porphyrio ait, porcum pro porca positum. Quin et Ouidius ait,

Placentur frugum matres, Tellusque, Ceresque,

Farre suo, grauide uisceribusque suis.

Sunt qui nigras uictimas Telluri attributas scribant. Et quoniam, inquit Coelius noster, terra per inertiam desiderare ac torpere in se ipsa dicitur, huius rei gratia putatur a sedentibus Opi sacrum fieri consueuisse. si quando uero terra mota esset, rituales Hetruscorum libri sue foeta ostentum procurare solebant. Et Arnobius ridens sacrificia, ita scribit in septimo: Telluri, inquiunt, matri scropha ingens immolatur foeta, at Mineruæ uirgini uirgo caeditur uitula, etc.

Pani deo hircus coleatus sacrificabatur, qui quidem hircus ad specum agebatur, in quo Pan ipse diuersari putabatur, ut docet Lucianus. [p.758] Pani uero Lycaeo in Lupercalibus, canis immolabatur, ut ait Plutarchus, quoniam gregis amicus et custos est canis. Alii capram albam dicunt: nonnulli hircum, ex cuius corio Luperci sacerdotes flagella conficiebant, quæ de re in Lupercalibus actum est.

Syluanum uero lacte placabant, ut Horatius in eo ostendit,

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,

Licet et porco interdum placari legerim. Iuuenalis,

Caedere Syluano porcum, quadrante lauari.

M. Cato de Re rustica, Marti Syluano in sylua interdum in capita singula bouum uotum faciebant. nam Martem Syluanum appellarunt. Mulieri ad eam rem diuinam adesse non licebat. Id uero fiebat ex adore et larido et uino. Vide Catonem.

Priapo naturæ et hortorum deo asinus hostia fuit, propter membri uirilium amplitudinem. Lactantius fabulam narrat, et Ouidius in Fastis,

Caeditur, inquit, et rigido custodi ruris asellus.

Sed non hoc illi perpetuum. nam in Theocriti epigrammatibus, huic deo ab aepolo de uitula fit sacrum, ut de hirsuto hirco, et saginato agno. Quare aliud est proprium et peculiare sacrum, aliud pro re et tempore et persona. Sic in Priapeis, puer domini florentis agelli, poma Priapo offert. Sane Theophylactus in commentariis Osee ait, mystas initiatos huic deo Priapo sacrificasse, quem Beelphegor

dictum ait, qui mares uiderentur foemellae fuisse, quae cymbalis utentes, foemineisque ululatibus triuia circuibant.

Fauno res diuina Non. Dec. de hoedo et uino fieri solebat. Horatius tertio libro carminum ad Faunum ipsum canit,

Si tener pleno cadit hoedus anno,  
Larga nec desunt Veneris sodali  
Vina craterae, uetus ara multo  
Fumat odore.

Et mox,  
Cum tibi nonae redeunt decembres.

Haec uero celebritas Faunalia dicebatur, ut Acron, Porphyriusque consentiunt. Alii agno etiam Fauno litatum dixere.

Terminum pluribus in primo Syntagmate scripsi: et quanquam ibi de sacris quae antiquitus illi inferebantur, pleraque retuli, quae tamen tunc praeteriisse uideri possum, hic ascribam. Ara deo Termino statuebatur a dominis utrinque, lignaque concisa foco imponebantur, et canistro fruges igni inspergebantur, tum demum puella fauos mellis porrigebat: alii et uina. itaque holocaustoma fiebat. Obseruatum est, Numam regem statuisse, ne ex re animata res sacra Termino fieret: id quod pluribus Plutarchus scribit, et ante eum Dionysius Alicarnasseus. Ouidius [p.759] tamen illi agnam et porcama in secundo Fastorum immolari prodidit: item Horatius, cum cecinit,

Vel agna festis caesa Terminalibus. Vbi Acron: Terminaliorum inquit diem institutum, uit per epularum festiuitatem caesis agnis fines seruari faceret. plura de Terminalibus Festus, et Macrobius. Aliud ab his Termini sacrificium, Aurelius Prudentius poeta contra Symmachum attulit. ita enim canit:

Et lapis illic

Si stetit antiquus, quem cingere suserat error

Fasceolis, uel gallinae pulmone rogare,  
Frangitur, et nullis uiolatur Terminus extis.

Rubigo deo, qui et genere foeminino Robigo dicebatur, ad arcendam ex segetibus robiginem sacrificium ueteres faciebant, ut in primo Syntagmate scriptum est. mense enim Aprili, extis canis et ouis placabant. Ouidius in Fastis,

Flamen in antiquae lucum Robiginis ibat,  
Extia canis flammis, exta daturus ouis.

Haec uero offerebantur cum thure et uino.

Rumina dea, de qua in primo Syntagmate scripsi: huius deae hostiae lacte inspergebantur, nec uinum adhibebatur.

Plutarchus id fieri putauit, propter ficum Ruminalem, sub qua Romulus rumam, id est mammam suxit: uel quod uinum minus conuenire existimatur infantibus. Vide Plutarchi Problemata et quae alio loco notauit.

Quae uentis sacra facta legerim, uide in Aeolo: id est, in Neptuni Syntagmate.

Nocti deae gallus sacrificabatur, et nocturno tempore. Ouidius in Fastis,

Nocte deae noctis cristatus caeditur ales,

Quod tepidum uigili prouocat ore diem.

Stadius uero Papinius libro secundo Thebaidos nigras ei hostias cum lacte offert, in Noctis hymno. ita enim canit,

Nigras tibi nigra litabunt  
Electa ceruice greges, lustraliaque exta  
Lacte nouo perfusus edet Vulcanius ignis.

Legitur et adhuc hymnus Orphei ad Noctem, cuius suffimentum faces. eius hoc est principium, meis uerbis:

Te Nox o genitrix hominumque deumque canemus,

Nox genesis cunctis, quam et Cyprin iure uocemus,

Audi diua, beata, etc.

Fortunae uirili mense Aprili thura adolebant, et cum melle papauera, et lacte, quod sacrum et Veneri commune fuit. Fortunam uero [p.760] Lacedaemonii, ut etiam prouerbio est celebratum, admota manu inuocabant: id significantes, sic quidem deos inuocari debere, ut simul et nos quoque nostram addamus operam, alioqui nostra frustra esse uota.

Enyus, id est Bellonae sacra non bestiarum uictima, sed suo ipsorum sacerdotum cruore peragebantur. gladios enim districtos utraque manu tenentes, humeros sibi ac lacertos fanatici feriebant, hocque sanguine Deis litari, et crimina expiari arbitrabantur: ita tamen, ut pro sanguine et uulneribus stipes ac pecunias captarent, ut in eius deae descriptione plenius retuli. Atque hactenus de Gentium sacrificiis.

FVRIARIVM, quas Erinnyas, et Eumenidas, et Semnas deas uocabant, sacrum huiusmodi Sophocles in Oedipo Epicolono fieri docet: Manus ac digitos ex profluente aqua abluebat, qui sacra facturus: et in cratere ansato, ouis nouellae uellere oblecto, mellitam aquam ad choas et libamina reponebat, quae prima aurora sobriis humi ter fundebat, terque insuper nouem ramos oliuae ibi deponebat: tum demum preces uerbis conceptis ipsis Furiis effundebat.

Pacis sacrificium poetarum festiuissimum exequitur copiose Aristophanes, in eius deae nomine fabula. nam cum primum canistrum descripsisset, cum hordeo, seruo, cultro, et igne: tum subdit, qui sacra faceret, canistrum sumpsisse, aram circuisse, faculam intinxisse, mox praeces ipsi deae effudisse: O grauissima regina dea, ueneranda Pax, domina chororum, regina nuptiarum, suscipe sacrificium nostrum: et caetera, quae ibi leguntur. post uictimam facit ex oue, sed non ante conspectum deae: quoniam ea non caede laetatur, nec eius cruentabatur ara, at seorsum iugulabatur, et pedes offerebantur, ignisque ex scissis lignis incendebatur: tum assabantur caetera uiscera, ut iam in aliis diximus, et praecipue ex Homero diuersis ex locis. Illud quoque notamus, nautas seruatos ex periculis maritimis, deis marinis sacrificasse: quod notissimum est ex poetis. Sed et Vergilius,

Votaque seruati soluent in littore nautae,  
Glaucos, et Panopeae, et Inoo Melicertae.

Sed nihil impedit, quin in hoc de uario sacrificandi ritu gentium Syntagmate, id ascribam, quod a me est breuissime collectum, et excerptum cum ex aliis, tum maxime ex his scriptoribus, Lactantio Firmiano, Macrobio, Cicerone, Platone in Minoe, Dionysio Alicarnasseo, Orosio, Diodoro Siculo, Eusebio, Luciano, Cyrillo, Tertulliano, Plinio, Suetonio, Solino, Mela, Procopio, Alexandro, aliis. Si enim nationum ac gentium sacra, institutaque sacrorum scrutari, et Barbaros externosque ritus recensere libuerit, quam impia atque nefanda eorum sacra [p.761] inueniemus? Atque ut ab his exordiar, Tauri Scythiae pro hostiis Dianae aduenas immolabant, praesertimque naufragos: et quos (ut inquit Athanasius) prouidentia eripuerat, hos ipsi iugulabant. alii postquam e bello redierant, captiuos per centurias diuidebant, et ex singulis unum sumentes, tot Marti iugulabant, quot ex unaquaque centuria delegissent. Scribit Procopius, apud Thulitas, id est Thulae insulae habitatores, suo tempore, hoc est Iustiniani Imperatoris, uictimarum potissimam fuisse, uirum quempiam, quem primum in praelio cepissent, Marti sacrificasse, ut quem deorum maximum ducerent. Sed ea, inquit, est apud hos immolandi consuetudo, ut non solum hostiam mactent, sed in arbore uiuam hanc prius suspendant, indeque intersentia et uepres proiectam, sic uariis ac miseris modis excrudiciando conficiunt.

Legimus item paucis ante annis, ab Hispanis nautis orbem lustrantibus insulam repertam, quam ipsi a Carolo Carolinam dixere, in qua frequentes uisebantur statuae aeneae suorum numinum, quae intrinsecus cauae, manibus iunctis passisque fuerant, in quibus infantes et puerulos quos deis illis suis immolabant, includere solebant, et crudelissime incendebant, in caueis statuarum et simulachrorum igne accenso, et aere calorem concipiente: et haec quidem hoc tempore. ut minus mirum uideatur, quod a Mose et Hebraeis prophetis scriptum legimus, ut in primis in Deuteronomio, capite duodecimo: Omnes abominationes quas auersatur Dominus, fecerunt, deis suis offerentes filios et filias, et comburentes igni. Quo loco interpretes, cum alia multa tradunt, tum illud, quod simulachra illa erant ex aere Cyprio, aliisque metallis ignita, et succensa. Vt caetera mittam, quae traduntur: ad nostra redeo. In Asia Laodicaei Mineruae uirginem mactabant, Arcades Ioui Lycaeum puerum: plerique iuxta Boristhenem, uacordi animo homines uictimas dare, et in deorum sacrificiis humanis ossibus adolere solebant. Blemyae, Cymbri, Galli, Dryidae, et Germani, statis diebus humanis hostiis litare, et captiuorum cruore adolere aras solebant: tunc maxime deos propitiari arbitantes, cum per cruciatum hominem excarnificassent: ex poenis et hominum suppliciis diuinationes et auguria captantes. Fuit quoque apud Phoenices et Carthaginenses, nimis diu obseruatum, ut infantes qui Principum filii essent, sorte ductos, regio ornata Saturno immolarent hostias: et quem sors morti destinarat, morti subtrahere non licebat. Quare multorum ciuium largis fletibus deplorata fuere funera. Hinc Imilce Annibalis uxor, cum Aspar eius esset mactandus filius, apud Silium in calce quarti libri Punicorum dolens ait:

Quae porro haec pietas, delubra aspergere tabo? [p.762]

Heu primae scelerum causae mortalibus agris,

Naturam nescire deum: iusta ite precari

Thure pio, caedisque feros auertite ritus,

Mite et cognatum est homini Deus. hactenus oro

Sit satis, ante aras caesos uidisse iuuenos.

Aut si uelle nefas superos, fixumque, sedetque,

Me me quae genui, uestris absumite uotis,

Cur spoliare iuuat Libycas hac indole terras?  
Et caetera. Ab istis uero sacris cum desuissent, postea uicti ab Agathocle, deos propterea subiratos arbitrati, quod ante etiam diximus, ut numen placarent, C C nobilium filios mactasse feruntur ad aras. Adeo caeca mortalitas, sub religionis nomine, ad infandas caedes praeceps agebatur. Id quod etiam a Rhodiis et Cretensibus factitatum comperimus, ut hominem epulis grauatum, ac pueros impuberes, festis diebus, Saturno et ipsi mactarent. In Chio et Salamine mos per multa secula uiguit, ut Diomedii et Dionysio homines disceptos iugularent. Eiusdemque Dionysius templum in Arcadia fuit, in quo puellae ad aram difflagellabant ad necem: sicut et Spartae in ara Orthiae Dianae, pueri. Quin etiam alii ingenti simulachro uiminibus intexto, et uiuis hominibus oppleto, ac igne succenso, ipsis foedum in modum exanimatis, maximum holocaustoma deis suis offerre putauerunt. Boiis et Celtis, purgato capiti hostis capite, caluariam auro caelare, et in eo poculo solennibus libare religiosissimum erat. Proditum est, Aristomenem Messenium Ioui, quem Ithomaten appellabant, C C C simul homines, in quibus Theopompus fuit, uno sacrificio mactasse: et Lacedaemonios eo uesaniae processisse, ut Marti humana uictima litarent. Galatae, et Massagetae, non aliter deos rite consuli arbitrabantur, quam iugulato homine apud aras deorum: ex cuius casu, tum ex membrorum laniatu, et sanguinis fluxu futura diuinabant. Cymbri noxios homines seruatos, sudibus affixos, deis pro hostiis dabant. Galli, praeter Hesum et Theutam, quos deos humano cruore placabant, grauioribus morbis aut periculis affecti, ad placandas deorum aras aut homines immolabant, aut se immolatuos uouebant: ad cuius aram etiam grandaeuos aetate, uictimarum loco prosecabant. Lusitanis uetus mos fuit, ex hominum intestinis exta prospicere, atque inde omina et uaticinia captare, abscissasque captiuorum dextras pro munere deis offerre. Thraces Zamolxin, quem maximum suum deum putabant, non alia ratione propitium sibi fieri arbitrabantur, quam si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam et deis gratissimam uictimam opinati. Germani quoque ritu barbarico, [p.763] Mercurio humano cruore litare religiosissimum putabant. Idem etiam fecisse Senones traditur, qui caeso publice

homine, infanda sacra statis diebus celebrabant, his portentis expiari delicta credentes. Persis etiam, ad habendas suis deis gratias, uiuentes iuuenes, eosque adhuc spirantes sub terra defodere, assuetum fuit: quem etiam morem Graecis inoleuisse accepimus, ut in anniuersaria celebritate Baccho uiuos homines sacrificarent: quique ita fuisset immolatus, maximam inter suos probitatis ac religionis laudem ferebat. Longum esset exequi, qui Taurorum populorum mores fuerunt, ut apud aram hominem sisterent, et post solennes quasdam preces homines, caput eius claua feriebant, crucique illud affigebant: truncum porro corpus ex ingenti rupe in praeceps dabant. id quod cum Leucadiis commune fuisse quidam tradunt, qui in Apollinis Leucadii sacro, ad auertendam deorum iram, hominem de montis specula deiicerent, et in mare praecipitem deuoluerunt. Fuit et id moris Albanis, ut hominem sacris initiatum, qui sanctitate polleret, diu asseruatum, et opipare saginatum, apud aras sisterent, eumque furiali carmine excantatum, deuotumque, additis quibusdam precepcionibus, cum aliis uictimis immolarent. Tantaque animorum fuit insipientia, tamque praeceps libido imperiti uulgi, ante uerbum diuinum incorporatum, ut omnes fere mortales in templis coire, et nefandis libidinibus immisceri, ac pudendis genitalibus sacra facere, quod procreationis seminaria forent, nefas non putarent: quod abeunde in Venere, et Priapo, aliisque deis ostendi. Quin et Britannis longo tempore morem fuisse accepimus, ut coniuges et nurus nudas, et quodam herbarum succo delibutas, ad templa ducerent, et ita supplicarent, captiuorumque sanguine deis litarent. At uero Corinthi super mille prostitutas in templo Veneris assidue degisse, et inflammata libidine quaestui meretricio operam dedisse, uelut sacrorum ministras deae famulari solitas, memoriae est proditum. Hic tibi mitto sacratas Lydias et Cyprias libidines. Piget uero, pudetque referre, Romanos rerum dominos, quibus foedera, leges et sacra exteris dare nationibus imperium fuit: quanto in errore, et quam tetra caligine uersatus fuerit uictor ille gentium populus, et totius dominator Orbis, omni superstitioni obnoxius: fascinos et mutinos, nedum Iunones et Genios quotidie sibi asciscendo, et obscena numina adoptando: qui etiam extraordinaria sacra, ex fatalibus libris facere coactus, Graecum et

Graecam, totidemque Gallos in foro boario, ad placandas deorum iras, sub terras uiuos defodere ueritus non fuerit. licuitque illi diu in sacris hominem interimere, et deis immolare: adeo ut Saturnum et ipse, et Latialem Iouem, humana placaret hostia. Cuius simulachrum, dum sacrificarent, [p.764] humano sanguine proleebant: donec Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. S.C. cautum fuit, ne nouam inducere religionem, neue hominem immolare, aut humano sanguine litare liceret. Sed iam satis de his. Quare nos CHRISTO gratias agamus, qui nos a tam foedis immanibusque sacris exemptos, salutifero Eucharistae sacrificio instituit, quo Deo patri quotidie litamus: Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat, per infinita seculorum secula, Amen.

SYNTAGMATIS DEORVM GENTILIVM XVII, ET VLTIMI FINIS.